
THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

HIEROGLYPHICORUM

ORIGO ET NATURA.

HIEROGLYPHICORUM
ORIGO ET NATURA:

PROLUSIO IN CURIA CANTABRIGIENSI

(IN COMITIIS, QUOD AIUNT, MAXIMIS,)

III. KAL. JUL. MDCCCXVI.

RECITATA,

CUM PRIMUM TULISSET PRÆMIORUM,
QUÆ AB ACADEMIÆ LEGATIS DARI SOLENT QUOTANNIS
SENIORIBUS, SIC NUNCUPATIS, ARTIUM BACCALAUREIS.

CONSCRIPSIT

JACOBUS BAILEY, B. A.

COLL. TRIN. SCHOL.

APPENDICIS LOCO ACCEDIT

HERMAPIONIS OBELISCI FLAMINII COMPENDIARIO FACTÆ
INTERPRETATIONIS GRÆCÆ FRAGMENTUM,

NECNON ETIAM,

QUÆ IN TABULA ROSETTANA REPERITUR,
INSCRIPTIO GRÆCA.

Καὶ γὰρ οὕτω πως ὑπείληφα· ἐγὼ νομίζω τὸν μὲν εὖ παθόντα δεῖν μεμνῆσθαι τὸν πάντα χρόνον. DEMOSTH. DE CORONA. 81.

CANTABRIGIÆ

TYPIS AC SUMPTIBUS ACADEMICIS

EXCUDIT J. SMITH.

VENEUNT APUD J. DEIGHTON ET FILIOS, CANTABRIGIENSES; LONGMAN
ET SOC. T. PAYNE, R. PRIESTLEY, LONDINENSES.

MDCCCXVI.

HANCCE

ACADEMICAM PROLUSIONEM

PROCANCELLARIO,

CETERISQUE

COLLEGIORUM MAGISTRIS,

QUORUM

(HARUM RERUM ARBITRORUM SCILICET,)

PERBENEVOLO

UNANIMIQUE ROGATU AC CONSENSU

PUBLICI JURIS EST FACTA,

EA,

QUA PAR EST,

OBSERVANTIA

D. D. D.

JACOBUS BAILEY.

CORRIGENDA.

In Textu.

P. 31.	l. 1.	τὴν
48.	7.	exprimerentur nude sic &c.
52.	10.	expugnent

In Notis.

p. 36.	l. 12.	ΤΟ ΔΕ
45.	16.	ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ,
58.	16.	ἄξιος
70.	1.	interpretatio
75.	9.	sua

In Appendice.

p. 87.	l. 13.	incolens;
99.	11.	ΕΚ[4]
110.	18.	*Ptolemæo,*

HIEROGLYPHICORUM

ORIGO ET NATURA.



BABRIANUS VOLUSIO SUO S.[1]

Cum dies aliquot, liceat ita loqui, Tusculanenses[2] apud te una cum Rabirio nostro haud ita pridem consumerem, otioque illi literato, quo nihil suavius, nihil libero homine dignius, operam daremus, tum de aliis, quotquot occurrebant animo, rebus a nobis cædi sermones contigit, tum præcipue, quod tute meministi, de notarum illarum ratione, quas in Ægyptiacis passim monumentis miris modis incisas videmus, quæque, consentientibus saltem serioris ævi[3] scriptoribus ad unum omnibus, Hieroglyphicorum nomine proprie appellantur.

1. Cf. Cic. Epist. Fam. IX. 8.

2. Ibid. IX. 6.

3. Vox certe non exstat apud Herodotum, et semel tantum, ni fallor, apud Diodorum (III. 4.), ubi tamen omittit codex Coislinianus, ut sensus sit scilicet: "Verum de *Æthiopicis* literis, sic apud Ægyptios κατ' ἐξοχὴν nuncupatis, &c." Quæ vera hujus loci interpretatio esse videtur.

Suasit de hac re collocutionem obelisci conspectus, quem hieroglyphicis quaquaversus refertum figuris, et petitum ex Ægypto, in hortulis avus tuus olim curaverat subrigendum[1]. Verum enimvero quod, Kirchero scilicet obsecutus, de origine ac natura harum figurarum tunc temporis asseveravi, eam videlicet de ipsis omnino apud Ægyptios rationem fuisse, ut a sacerdotibus mysticam quandam reconditamque sapientiam obtegendi gratia prorsus excogitarentur, id omne, mi Volusi, indictum ac quasi furcilla extrudendum[2] velim. Nimirum hoc genus literarum postea[3] ad id quod

1. Consuetudo satis frequens est. Ut nihil dicam de obelisco Sallustiano, (non in Ægypto, sed Romæ, ut videtur, tertio post natum Christum seculo expolito, magnaque ex parte ex obelisco Flaminio descripto,) ut et de Florentino, qui in hortis stabat Mediceis, asservatur hodie obelisci cuspis pyramidalis Wanstedii, quod in Essexia est, in hortis, qui olim fuerunt Jacobi Tilney Long, Baronetti; nunc autem Gulielmi W. W. L. P. Wellesley, Armigeri. Hunc ab Alexandria quondam huc advexit Gulielmus Lethieullier, anno MDCCXXII.

2. Cic. Epist. Attic. XVI. 2. Hor. Epist. I. 10. 24.

3. " Postquam sub Psammetichidarum imperio auctoritas sacerdotum deprimi cœpit, mysteria affectarunt, et data opera hieroglyphicam scripturam ænigmatis augere studuerunt." Zoeg. de Obelisc. p. 549. Vide et p. 542. " Tertio quartoque vulgaris æræ seculo ad nova mysteria, theurgica, gnostica, magica, chemica traducti fuerunt characteres hieroglyphici, ac vetus sensus fere oblivioni traditus."

dixi adhibuisse sacerdotes, certa res est; eam ob causam invenisse, non item. Quod enim meticulosius paullo ac diffidentius attigit Rabirius, nempe notas illas nihil aliud esse nisi pristinam quandam ante inventas, quales nunc sunt, literas scribendi rationem, id plane jam tandem veriverbium esse nullus dubito; nisi quod eas existimem omnibus ex natura gentibus primitus communes esse, non proprias, quod ipse maluit, habendas esse Ægyptiorum. Etsi probe scio id genus scripturæ adeo feliciter præ ceteris gentibus hunc populum excoluisse, ut, si cui in animo sit naturam originemque tractare hieroglyphicorum, is sane eam materiæ partem, quæ ad Ægyptios spectat, pro summa atque capite orationis sumat necesse sit. Ceterum, quo magis huic sententiæ astipuler, faciunt quæ de hac quæstione disseruit Vir singulari quodam ingenii acumine præditus, Warburtonus; qui primus certe recentiorum ad rectam harum rerum cognitionem patefecit viam[4]. Quo

tus." Ibid. 549. Posterioris hujus generis esse videntur notæ istæ hieroglyphicæ apud Abenephium Arabem reperiundæ, a veterum genuinarumque natura prorsus abhorrentes. Librum istum notum olim, quod primo nesciebat Editor, Kirchero, iterum nuper publici juris faciendum curavit Josephus Hammer.

4. Cf. Robertson. *History of America*, Vol. II. p. 480. (ed. 1777.)

mehercules sermone, quod ad originem harum notarum attinet, nihil subtilius, nihil pressius, nihil enucleatius esse potest. Quanquam vereor ut satis accurate disputaverit de diversis, quibus usi sunt Ægyptii, hieroglyphicorum generibus; suspectumque habeo, suo nimis fretum ingenio, aliter quoque fuisse lapsum, verisimilia scilicet pro veris identidem ponendo. Cujus tamen scriptorum vel pulvis pro auro habendus est[1]; eaque omnino nævorum, qui in illis reperiuntur, natura, ut ab ipsis quod pulcrum, quodque perfectum sæpenumero eliciatur. Huc accedant quæ nuperius Danus quidam, cui nomen est Zoegæ, eruditissimus in lucem protulit, et profecto omnia ista, quæ immanem in molem crescentia coacervavit Kircherus, facile exscreabuntur et exspuentur, tanquam spurcæ omnino ac propudiosæ ineptiæ: ex quibus si vel tantulum fructus speres percipiendum, nihilo plus agas quam si aquam, ut in comœdia est, postules ex pumice, qui ipsus sitiat[2]. Cui equidem satis irasci nequeo[3], quod prodigioso

---

1. " The most excellent Bishop Pearson, *the very dust of whose writings is gold.*" Bentl. *Dissertation upon the Epistles of Phalaris*, &c. Miltonum, quod ad hanc locutionem attinet, imitatus.

2. Plaut. Pers. I. 1. 42. Cf. et Ter. Eun. I. 1. 16.

3. Vide Warburton. *Divine Legation of Moses*, Vol. III. p. 70.

quodam labore, et industria male ominata, eo rem redegit erroris et obscuritatis, ut postilla nigror iste tenebrarum caliginosus vix et ne vix quidem amoveretur. Quoniam autem non ad Ægyptiorum tantum, verum etiam ad Græcorum[4] enodandam sapientiam plurimum valere hoc studium mecum persuasum habeo, visum est rem paullo attentius indagare ac perscrutari; stirpem autem omnino quæstionis facere[5] quæ disceptarunt Zoega et Warburtonus: ita ut utrumque inter se conferendo exploratum aliquod, si modo licebit, in re difficillima extundi possit. Quod semel observatum velim. Adde quod exinde derivatum est ipsum illud genus scripturæ, quo hodie utimur; quod per se operæ pretium facit, ut, qui sit hieroglyphicorum usus, et qualis, et a quo fonte profectus fuerit, quam diligentissime anquiramus. Hunc igitur, qualiscunque sit, sermonem ad te misi; tuamque de hac re opinionem magnopere aveo scire. Rabirio etiam, quando poteris, si

---

p. 70. not. p. 138. 139. 184. (ed. 1765.) "Piget immorari nugis Joannis Goropii Becani, qui sacram Ægyptiorum dialectum eam esse autumat, qua hodie utuntur Belgæ." Zoeg. p. 137. "Kircherus autem, Goropii insistens vestigiis, &c." Ibid. p. 177.—Cum tale sit ἀρχέτυπον, quidnam de imitamento expectandum est?

4. Warburton. p. 243.

5. Cic. de Fin. IV. 2.

ostendas, id mihi sane pergratum perque jucundum erit. Cura ut valeas.

Fuisse quoddam tempus, cum immanitate efferatum hominum genus in montibus ac silvis ferarum more vitam ageret, credibile est non magis ex ipsa rerum natura, quam quod hac de re omnes fere omnium temporum philosophi uno ore consentiunt. Ut ex feritate illa agresti tandem aliquando emergerent, fecerunt duo illa, per quæ sola a belluis secernuntur, quæque totius denique societatis fundamentum atque vinculum sunt, ratio et oratio[1]. Quarum hæc illius index atque interpres dici potest. Verum enimvero, quoniam ad exprimendas in animo consignatas notiones parum primo per se sufficerent voces gestusque, necesse fuit ut suppetiarum loco aut res ipsas, de quibus sermo agebatur, quando liceret cunque, invocarent; aut, depicta graphice rerum similitudine in pulvere, vel si quid aliud præsto esset, ante oculos sic ponerent id quod mente conceptum esset. Quoniam autem insitum est nobis, vel potius innatum, quoddam studium rebus præsentibus adjungendi atque annectendi

---

1. Cic. de Off. I. 16.

præteritas, (nam belluarum est ad id tantum quod adest, quodque præsens est, se accommodare [2],) ab experientia facile docerentur primi homines fluxam sane ac fragilem istam recordandi rationem esse, quæ fit oratione tantum rei alicujus memoriam prodendo. Quapropter artem illam nuper cognitam rerum imitatione exprimendarum, qua non nisi ad expediendam consociationem inter se communitatemque prius usi sunt, ad conservandam etiam rerum memoriam protenus usurparunt. Hinc, si quando res gestas, si novum aliquod, aut invisum antea, aut inauditum, aut ceteroquin memorabile, recordatu dignum arbitrarentur, in stipitibus, rupibus, antris denique, infabre et per saturam [3] sculptas conformatasque rerum figuras depingere [4] solebant; ut, cum vellent, intuerentur, et notarum significationes agnoscerent reminiscendo, mox etiam posteris traderent [5]. Adde quod reperiebant utique nihil posse esse aptius aut accommodatius hac rerum significandarum exaratione, siquidem cum absente quo-

2. Cic. de Off. I. 4.

3. Sallust. Bell. Jugurth. 29.

4. Erit forsan, nec me multum invito, qui huc referendas censeat formas illas animalium in vestibus ab incolis montis Caucasi olim pictas. Vide Herod. I. 203.

5. Robertson. Vol. II. p. 287. Lafitav. *Mœurs de Sauv.* tom. II. p. 43.

piam aliquid communicandum voluerint. Quod profecto in cortice, in ligno, in pellibus[1], inque ceteris ejusmodi, facillime faciendum quotus est quisque qui non videt? Primum igitur constat scribendi genus nihil aliud fuisse quam meram rerum per imitationem picturam: etenim, ut quæ vellent significarent, illa ipsa, quasi in unum conjecta, arte qua poterant pingebant. Quod non magis analogiæ, quam ipsi naturæ consentaneum est. Dum enim, ut aliis res ipsas declararent, formas ac lineamenta rerum ducebant, ipsam naturam imitabantur; quæ in mentibus nostris, velut in tabella, imagines insculpit earum rerum, quas ipsi percipiamus ac contemplemur.

Hanc communem omnium populorum olim fuisse consuetudinem, cum patet ex historia veteri, tum ex incultarum gentium moribus, quotquot nobis in diversis orbis terrarum partibus sitæ nuperius innotuere. Itaque oleam omnino perdiderunt, qui ab uno alterove populo repetenda esse initia hujus artis, aut certis temporibus assignanda existimarunt.

Ac primum de insignibus illis Mexicanorum[2]

---

1. Cf. Herod. V. 58. Lederer. de Virginiensibus, *Journal des Savans*, an. 1681. p. 75.

2. Vide omnino Robertsonum, *History of America*, Vol. II. p. 284. seqq. p. 480. not. LIV.

notis. Quæ tamen a simplici pictura[3] usque adeo recedebant, ut, prout ordo memorandarum faciendarumve rerum fuit, sibi invicem congruerent, et apta quadam inter se dispositione colligarentur. Hujuscemodi Purchasianam illam apud Warburtonum[4] tabulam esse, quivis vel uno conjectu oculorum videbit. Quæ, inquam, tabula (ut cetera prætermittam in ea consignata,) sic demum ordinata est ac constituta, ut per annorum unius et quinquaginta spatium continuatam quandam et cohærentem undiquaque historiam amplectatur. Et qui, quæso, id fieri posset, nisi conserte, ut sic dicam, contexteque, perinde ac res ipsæ, rerum etiam figuræ connecterentur? Ab Acosta[5] itidem Clavigeroque[6] discimus annales suos fastosque sic conscripsisse Mexicanos. Quin et leges quasdam, quæ ad tributa et liberorum educationem spectabant[7], pari ab eodem populo figurarum servata inter se connexione memoriæ proditas accepimus. Eadem quoque

3. Ea scilicet, quæ temere ac fortuito fit, nulla continuationis serieive adhibita ratione.

4. p. 73.

5. Apud Warburt. p. 71.

6. *Storia antica del Messico*, &c. Tom. II. p. 188.

7. Vide Kircher. Œd. Ægypt. Tom. III. p. 28.

ratio fuit picturarum, quotquot apud Mexicanos repertæ fuerunt, mythologicarum[1].

Hujusmodi etiam patet notas fuisse illas, quibus, in ligno arborumve cortice incisis, interdum etiam pictis in ferarum pellibus, usos esse Lovisianenses testatur Lafitavius[2]; nisi quod rudiores paullo Mexicanis, minusque ad humanitatem instructi informatique, nondum ad mores ac instituta in posteros transmittenda, sed ad res gestas tantum commemorandas, hoc scribendi genus adhibuisse videntur. Idem fere tradit Ledererus de Virginiensibus[3]. Quorum tamen id proprium fuit, ut non, prout ceteri, singulas singulis picturas simpliciter ac recto ordine subnectendo, sed rotis[4] quibusdam, ut sic dicam, chronologicis annorum ordinem denotarent. Harum autem in pellibus depictarum eam discimus rationem fuisse, ut radios, quorum unusquisque anni spatium comprehendebat, amplecterentur sexaginta. Radiorum cuique annectebatur earum rerum per figu-

---

1. Claviger. in l. c.

2. *Mœurs des sauv.* Tom. II. p. 43. 44. 225. 416.

3. *Journal des savans*, an. 1681. p. 75.

4. Annum per circulos, sive rotas, ut malunt quidam, longe aliter dispertiebant Mexicani. Vide Kircher. Œd. Ægypt. Vol. III. p. 29.

ras designatio, quæ in suo anno memoratu dignæ occurrebant.

Hactenus de scribendi per picturas ratione a Mexicanis, nonnullisque Americæ, quæ ad septentrionem versa est, indigenis usurpata. Nunc pauca de figurarum ductu. Quas quidem constat non semper ad rerum exprimendarum normam plene et examussatim exscriptas esse, sed et non raro in compendium quoddam decurtatas, ac summatim positas[5]. Namque (ut ipsius Acostæ[6], necnon Clavigeri[7], verba faciam missa,) in tabula plus vice simplici reperiuntur Purchasiana figuræ hominum dimidiatæ. Adde quod sæpenumero hisce insunt picturis multa vel tropicam habentia significationem. Sic, si quando agmen describerent Mexicani, clypeum cum telorum fasciculo[8] depingebant. Paullo reconditius (si qua fides Ledererø[9],) Virginienses. Ii enim, ut adventus Europæorum hominum conficerent significationem, ignem vomentem cygnum penicillo coloribusque imitabantur; quippe qui vitæ ratione mare, pennarum candore Europæorum colorem,

5. Cf. Robertson. Vol. II. p. 288. 289.

6. Apud Warburt. p. 72.

7. In l. c.

8. Vide Zoeg. p. 532.

9. In l. c.

igne autem ignivoma eorum arma declararet. Idcirco lapsus fuisse videtur Vir egregius Warburtonus, dum eo scripturam, quæ proprie fit per picturas, ab hieroglyphica distinguit, quod illa (exceptis quibusdam notis, quas *arbitrarias*[1] nuncupant, ad exprimendas res forma carentes excogitatis,) ipsarum rerum imagines puras putas ex natura depromit, hæc vero figuras non circumcidit solum atque amputat, sed et tropice intelligit. Quam quidem ex præmissis patet nullam omnino esse distinctionem. Profecto multo melius fecisset, si de utriusque scripturæ ratione sic demum statuisset, ut hæc esset figurarum inter se quædam connexio, literarum ritu in series sententiasque singulatim ordinatarum; illi id curæ potissimum esset, ut una ad alteram figuram, prout ordo significatarum rerum erat, simpliciter adjungeretur, nulla prorsus sententiarum habita ratione. Etenim hujus est quasi per literas articulatim ac distincte interpretari; illius ipsarum rerum sub

1. Quas quidem in picturas, quales fuere Mexicanorum, dedita opera inductas esse vix et ne vix quidem crediderim: cum multo faciliores recordatu fuerint tropice symboliceque expressæ res, si quæ ob naturam suam proprie depingi non potuerint. Quanquam harum nonnullas, primaria significatione gradatim amissa, notarum arbitrariarum (quod credibile est contigisse Sinensibus,) formam induere posse lubenter concesserim. Sed vide Zoeg. p. 533. nott. 22. 24.

aspectum subjectione suggerere, ac generatim summonere. Hæc denique, ut uno verbo dicam, loquitur; illa tantum indicat atque innuit.

Notatu admodum dignum est coloratas, ut videtur, picturas primos omnium indigenarum Americanorum excogitasse Mexicanos, feliciusque multo quam ceteri excoluisse: sive id factum fuit, quod terra illic loci suapte uberiusve solito materiam illam edebat, ex qua conficerentur varia pigmentorum genera; seu major quædam exquisitiorque huic populo insita erat ex natura ingenii celeritas. Ceteri, exceptis iis tantummodo quos antea excepimus, quique, eo quod Mexicanos habebant proximos, Mexicanorum huic consuetudini dociles sese aliqua ex parte præbebant, rem quamlibet memoriæ proditurі, id egerunt ut rei ipsius picturam in saxis, aut si quid aliud tale idoneum conspicarentur, fere omnino insculperent.

Posterioris hujus generis etiam sunt Scandinavorum[2] haud pauca, quæ hodie exstant, monumenta. Quin et in Norvegia integræ rupes conspiciuntur, in quibus incisæ occurrunt figuræ

---

2. Horum præcipuum locum obtinet monumentum illud quod vulgo dicitur Kivikense. Vide Lagerbring. Specim. Histor. de mon. Kivik. et Zoeg. p. 343. not. 43.

hominum, navigiorum, belluarum. Eadem quoque ratio obeliscorum est, qui in Scotia[1] passim reperiuntur, Danis a nonnullis tributorum, qui in Scotiam olim incursiones factitabant. Indos[2] taceo Scythasque[3], quorum in finibus picturata ubique supersunt monumenta. Venio ad nostrorum temporum Hottentotos, eos scilicet qui Bosjesmenorum vulgo nomine appellantur[4]; quorum ea, ut perhibent, immanitas est, ut ferarum plane esse videatur, non hominum. Quibus quidem etiamnum per picturas scribendi consuetudo est. Sic, si quando feras, vel hostium congressus, certis in locis observant, id, ne periclitentur, cum suis communicant, figuras ferarum hostiumve in cavernis, in rupibus, inque similibus insculpendo.

---

1. Maximus est, qui stat in Comitatu Murray. Altus est pedes viginti tres.

2. Cf. Chambers. *Account of the sculptures and ruins at Mavalipuram* (*Asiatick Researches*, tom. I. p. 145. seqq.)

3. Vide Warburt. p. 74. not. k. et post eum Strahlenberg. *Description historique de l'empire Russien*, tom. II. p. 201. seqq.

4. Consulas J. Barrovium, *Travels in China*, p. 246. Unde liquet eo accessisse peritiæ, ut res interdum exprimant quæ moventur. Sic plaustra, cum claudicantia, tum etiam euntia scalpunt. Mexicani quoque, (quod prætermiseram,) teste Clavigero, dum monstrosas deorum imagines depingebant, partim fecerunt quietas, partim etiam vehementi motu agitatas.

Quinetiam apud Græcos[5], ante inventas literas, quas dicunt, alphabeticas, usitatam per picturas fuisse scriptionem testantur ipsa Eustathii verba, sic ad insignem Homeri de Bellerophonte locum conscribentis[6]: Οἱ παλαιοὶ, ὁποῖόντι καὶ οἱ Αἰγύπτιοι ἐποίουν, ζώδιά τινα ἱερογλυφοῦντες καὶ λοιποὺς δὲ χαρακτῆρας εἰς σημασίαν ὧν λέγειν ἐβούλοντο, οὕτω καὶ αὐτοὶ, καθὰ καὶ τῶν τινες ὕστερον Σκυθῶν[7], ἐσήμαινον ἃ ἤθελον, εἴδωλά τινα καὶ πολυειδῆ γραμμικὰ ξέσματα ἐγγράφοντες ἤτοι ἐγγλύφοντες πίναξι, τοῦτ' ἔστι σανίσιν, ἀλλοίαις τε καὶ ταῖς ἐκ πύξων, ἐξ ὧν αἱ λεγόμεναι πυξίδες. De quo, ut videtur, scribendi genere intelligendæ sunt notæ illæ, quas, ipsius Bellerophontis suadentes excidium, in tabula consignatas meminit Homerus[8]: Πέμπε δέ μιν Λυκίηνδε, πόρεν δ' ὅγε σήματα λυγρὰ, Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά· Δεῖξαι δ' ἠνώγει ᾧ πενθερῷ, ὄφρ' ἀπόλοιτο. Et mox[9]; Καὶ τότε μιν ἐρέεινε,

5. Cf. Strab. XVII. p. 1142. (ed. Oxon. 1807.)

6. Ad Iliad. Z. 168. p. 489. (ed. Basil.)

7. Locum forte respexit Clementis Alexandr. V. 4. (apud Warburt. p. 105. et 113. not. d.) ubi, quanquam non de scriptura sermo agitur, (nam quæ Dario missa sunt dona non rerum effigies, sed res ipsæ fuisse videntur,) minime tamen abhorrent a proposito verba Clementis. Nam modus ratioque fere eadem fuit. Cf. Herod. IV. 131.

8. Iliad. Z. 168.

9. Ibid. 176.

καὶ ἤτεε σῆμα ἰδέσθαι, Ὅττι ῥά οἱ γαμβροῖο παρὰ Προίτοιο φέροιτο. Αὐτὰρ ἐπειδὴ σῆμα κακὸν παρεδέξατο γαμβροῦ, Πρῶτον μὲν κ. τ. λ.

Idem dictum puta de Phœnicibus, nisi quod communis ipsis, ob viciniam scilicet, cum Ægyptiis fuisse videtur figurarum quarundam vel reconditiorum usus[1]. Hujusmodi crediderim fuisse draconem illum, de quo Macrobius[2]; "Phœnices in sacris imaginem ejus [mundi] exprimentes draconem finxerunt in orbem redactum, caudamque suam devorantem; ut appareat mundum et ex seipso ali et in se revolvi." Adde quod insculptæ in gemmis, quas nonnulli recentiorum hominum reperiere, literæ semel atque iterum observatæ sunt Phœniciæ, cum symbolis quibusdam Ægyptiacis commixtæ; quarum in una occurrit vel mirifici illius figura, qui in ore omni populo est,

---

1. Satis notum est multa ex Ægyptiis mutuatos esse Phœnices, præcipueque literarum usum alphabeticarum, quem in Græciam postmodum induxerunt; gloriam, quia mari præpollebant, sæpius adepti, tanquam repererint quæ acceperant. Cf. Tac. Ann. XI. 14. Lucan. I. 12. Plin. V. 12. Q. Curt. IV. 4. Crit. apud Athen. II. 22. p. 28. ubi, ut et apud Eustath. Od. Ξ. p. 541. legendum videtur *Εὗρον Φοίνικες γράμματ' ἀλεξίλογα.* Metrum est elegiacum. Cf. etiam Herod. V. 59. seqq.

2. Saturnal. I. 9. De eodem dracone Horapol. I. 2. Satis frequens hæc nota in gemmis est, quas vocant, Abraxeis. In obeliscis autem, vetustiorisque ævi monumentis, non reperitur.

scarabæi. Unde quidem suspectum habeo non defuturos esse quosdam homines, qui cum Warburtono affirment hieroglyphicam proprie sic dictam scripturam Phœnices calluisse; cum Phœnicium istiusmodi monumentum ne unum quidem supersit. Quos profecto commonefactos velim nihil tale, nisi vehementer erro, vel a Sanchoniathone vel quovis alio scriptore antiquo colligi posse; argumentationemque illam, qua sola opinionem suam de hac re suffulsit Warburtonus[3], falsis omnino inniti principiis. Quod ea, qua potero, brevitate pergam ostendere. Etenim locus ille Sanchoniathonis, ab Eusebio citati, non ad deductam ex pictura simpliciori hieroglyphicam scribendi artem spectat, sed (quæ longe alia res est,) ad rudium quarundam statuarum excogitationem, quas in numinum cultu, cipporum fustiumque[4] loco deorum nominibus inscriptorum, Phœnices postea usurparunt. Inter quos deos constat elementa eos, ventos, et id genus cetera, inprimis

3. p. 78.

4. Εὐεργέτας τε τούτους καὶ πολλῶν αἰτίους ἀγαθῶν ἡγούμενοι, ὡς θεοὺς προσεκύνουν· καὶ εἰς τὸ χρεὼν καταστάντας ναοὺς μετασκευασάμενοι, στήλας τε καὶ ῥάβδους ἀφιέρουν ἐξ ὀνόματος αὐτῶν, καὶ ταῦτα μεγάλως σεβόμενοι, κ. τ. λ. Phil. Bybl. apud Euseb. Præp. Evang. p. 32. D. Sanchoniathonem secutus. Ἀνιερῶσαι δὲ δύο στήλας πυρί τε καὶ πνεύματι, καὶ προσκυνῆσαι, ἅμα τε σπένδειν αὐταῖς κ. τ. λ. Sanchon. apud eund. p. 35. B.

veneratos esse; eademque non raro sub regum suorum nominibus invocasse[1]. Ceterum, ut cum nomine hæc numina personam pariter induerent, a Sanchoniathone illo docemur inventos ab Urano fuisse dolatos quosdam lapides, bætyliorum[2] nomine appellatos, sub quorum potius quam cipporum fustiumve formis colerentur. Quorum tamen ea, ut videtur, ratio fuit, ut nullam lineamentorum oris in se continerent conformationem. Exinde Urani Taautum[3] vestigiis insistentem, rudibus hisce lapidibus etiam vultus addidisse; quin et sin-

---

1. Ἐξαιρέτως δὲ καὶ ἀπὸ τῶν σφετέρων βασιλέων, τοῖς κοσμικοῖς στοιχείοις, καί τισι τῶν νομιζομένων θεῶν, τὰς ὀνομασίας ἐπέθεσαν. φυσικοὺς δὲ, ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ τοὺς λοιποὺς πλανήτας ἀστέρας, καὶ τὰ στοιχεῖα, καὶ τὰ τούτοις συναφῆ, Θεοὺς μόνους ἐγίνωσκον. Euseb. p. 33. A. Cf. etiam locum proxime citatum.

2. Ἔτι δὲ ἐπενοήσε Θεὸς Οὐρανὸς βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος. Sanchon. apud Euseb. p. 37. D. Qualia hæc fuerint in incerto est. Quidam conferunt cum automatis illis saxis a Dædalo excogitatis. Crediderim lapides fuisse oblongos, quales Saturno suos, juxta fabulam, voraturo liberos tradidisse fertur Rhea; quin et eo ἐμψύχους dictos, quod ad vivum, (si faciem demas,) quanquam infabre, fuerunt dolati; non quod suapte movebantur. Cf. Etymol. Mag. et Hesych. in v. βαιτύλος. Hesiod. Theogon. 485. seqq. Priscian. Art. Grammat. V. p. 647. (in Putschii Gramm. Vet.) Adde I. p. 564. VI. p. 698. VII. p. 747. Dumque hæc scribo, præ oculis locus est Herodoti, II. 48. Vide et Marsham. Can. Chron. p. 56. seqq.

3. Sanchon. apud Euseb. p. 39. A.

gulis, quæ deorum in numero coluerunt, elementis sacra, ut ita dicam, *attributa,* quibus alterum ab altero distingueretur, fingendo impertivisse. Nulla hic de hieroglyphica, nulla de ea, quæ per picturas fiebat simpliciores, scriptura facta est mentio[4].

Ceterum, dum ad exprimendas rerum notiones res ipsas nullo certo præstitutove ordine connexas, sed quasi in unum conjectas constipatasque, homines depingebant, duæ protenus exortæ sunt difficultates; una, ob nimiam, quæ tarde sic fieret, figurarum plenius cumulatiusque ductarum coarctationem; altera, quod per nullam continuationem seriemve inter se dispositæ ac colligatæ, nihil aliud in se

---

4. Perperam igitur omnino, ut videtur, Warburtonus *στοιχεῖα* intellexit de *literis,* cum intelligi deberet vox illa de *naturæ elementis,* quemadmodum recte acceperat Cumberlandus (*Sanchoniatho's Phœnician History,*) p. 38. Et sic apud Euseb. p. 36. A. Τάαυτος, *ὃς εὗρε τὴν τῶν πρώτων στοιχείων γραφήν.* Neque vero illud prætereundum est, Uranum scilicet, si auscultemus Warburtono, picturæ apud Phœnices auctorem fuisse simplicioris. Cui quidem opinioni neque Sanchoniathonis, nec ullius cujuspiam, quod sciam, scriptoris auctoritas adminiculum præbet. Totum demum locum sic legendum atque interpungendum suspicor, particula *τε* cum Warburtono inserta. Πρὸ *δὲ τούτων θεὸς* Τάαυτος, *μιμησάμενος τὸν* Οὐρανὸν, *τῶν θεῶν ὄψεις* (Κρόνου *τε καὶ* Δαγῶνος *καὶ τῶν λοιπῶν*) *διετύπωσεν, τούς τε ἱεροὺς τῶν στοιχείων χαρακτῆρας.* Ἐπενόησε *δὲ καὶ τῷ* Κρόνῳ *παράσημα βασιλείας, κ. τ. λ.*

continebant præter mancam quandam imperfectamque rationem significationis. Si qui igitur esset populus ingeniosior paullo ac solertior, is unamquamque tabulam, ut sic dicam, exinaniendo, et in plures partes apte inter se collocatas dissecando, viam sic facile videret apertum iri ad animi cogitationes fortius accuratiusque describendas. Figuras, brevitatis causa, contraherent vel hebetiores.

Verum enimvero omnium, quas novimus ad amplificandam hancce per picturas scribendi rationem commentas machinationes, longe longeque celeberrimus fuit mirificus ille Hieroglyphicorum usus, ab Ægyptiis antiquitus excogitatus. Is quando cœperit, frustra quæritur: quanquam, si Diodoro credendum sit, ab Æthiopibus[1], quorum colonia fuere Ægyptii, desumptus deductusque fuisse videtur. Quocum sane id facit, quod inter Meroes[2] antiquæ rudera repertæ haud ita pridem a Bruceio[3] nostrate sunt reliquiæ hieroglyphice insculptorum nonnullorum monumentorum. Ut

---

1. Cf. omnino Diod. Sic. III. 3. Insignia duo exempla utriusque gentis morum similitudinis præbet Herod. II. 36. 104. III. 24.

2. Lucan. X. 303.

3. *Travels to discover the source of the Nile, &c.* tom. IV. p. 538.

ut illud sit, satis vetustum fuisse id scribendi genus vel exinde patet; simplicis scilicet[4], de qua supra diximus, picturæ nec volam nec vestigium ullibi apud Ægyptios etiam Diodori temporibus superfuisse, exceptis duntaxat illis figurarum complexibus, de quibus in monumento Osymandyæ[5], necnon etiam in Labyrintho[6], cum scalpro incisis, tum depictis etiam penicillo, mentionem fecit Diodorus. A quo demum monumentorum genere, tropicis scatentium ac ceteroquin (juxta ingenium Ægyptiorum) reconditis figuris, profluxisse vide-

---

4. Hoc est purius scriptæ. Unde debueram fortasse excepisse Osymandyæ monumentum. In eo enim exaratæ sunt, hieroglyphice proculdubio, hæ voces; ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΟΣΥΜΑΝΔΥΑΣ ΕΙΜΙ. ΕΙ ΔΕ ΤΙΣ ΕΙΔΕΝΑΙ ΒΟΥΛΕΤΑΙ ΠΗΛΙΚΟΣ ΕΙΜΙ ΚΑΙ ΠΟΥ ΚΕΙΜΑΙ, ΝΙΚΑΤΩ ΤΙ ΤΩΝ ΕΜΩΝ ΕΡΓΩΝ. In alia itidem parte, in sacra scilicet bibliotheca, insculpta dicta sunt ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΕΙΟΝ. Vide Diod. I. 47. Ex quibus illud dignissimum est notatu, in vetustioribus scilicet monumentis ἐγγλυφῶν καὶ τύπων illorum (quorum natura ad simplicis picturæ rationem proxime accedebat,) multo majorem numerum fuisse, quam figurarum hieroglyphice scriptarum. Sic etiam in obeliscorum epistyliis stylobatisque, ut et in scapis huc illuc sparsæ, occurrunt crebro figuræ, non literarum ordine inter se dispositæ, sed picturarum tantum vice fungentes, et quasi per saturam exasciatæ. Quæ quidem figuræ cum hieroglyphicis notis sæpius sunt confusæ.

5. Diod. I. 47.

6. Ibid. I. 66.

tur scriptura hieroglyphica. Cujus jam satis verborum est de origine. Ad naturam ejus indolemque accedamus.

Dixi equidem antea eam hieroglyphicæ scriptionis rationem fuisse, ut per series sententiasque apta quadam inter se dispositione figuræ ordinarentur; picturæ contra nullam omnino sententiarum curam esse. Etenim id plerumque proprium fuit hieroglyphicis, ut singulis animi notionibus singulæ figuræ assignarentur; quæ, juxta ordinem rerum in animo conceptarum examussim nexæ jugatæque, res ipsas plenius perfectiusque exprimerent, perinde ac literæ. Quas tamen inter et hieroglyphica hoc maximum interest; nempe literas sonorum tantum quorundam res indicantium, hieroglyphica ipsarum rerum indicia esse. E contrario picturæ consuetudo est figuras tumultuario, ut ita loquar, catervatimque ante oculos ponere. In universum igitur hieroglyphica, quod ad figurarum attinet genus, pictura sunt; quod ad ordinem, literæ.

Sed, ut vetustissimi hujus, apud Ægyptios usurpati, scribendi generis fontes aliquantulum recludantur, necesse erit omnino ut ad antiquorum provocemus auctoritatem, eosque in medium proferamus tanquam columnas quasdam ac propugnacula orationis. Quod si his usus esset ducibus

Kircherus, potius quam putida ista ac sputatilica Platonistarum colluvie, fictisque ac commentitiis Hermetis istius Trismegisti libris[1], profecto is, vegrandis illius ope bonarum artium ac disciplinarum, quam possidebat, supellectilis, certum aliquod in re difficili atque incerta elicuisset; non sese, quod fecit, quasi in labyrintho quodam latebroso manibus pedibusque obnixe illaqueasset. Cui equidem id curæ fuisse mecum habeo persuasissimum, ut insolentia verum dicendi ipse semet, quod sæpius contingit mentientibus, dolis suis tandem ludificaretur.

Inter quos quidem præcipuam mereri laudem videtur Clemens, presbyter ille Alexandrinus; qui de hac re fusius multo quam ceteri, idemque accuratius disseruit: adeo ut iis, quæ de ratione atque indole hieroglyphicorum commemoravit, perpauca sane addi posse videantur. Unde quidem excerpserit, prorsus ignoratur. Quoniam autem verba ejus penitiorem quandam in se continent notarum hieroglyphicarum cognitionem, quam quæ alibi reperietur, nec, ut ex ipsius rei natura liquet, nisi diuturno studio ac sudore comparandam, crediderim eam ex alio quodam fluxisse auctore, in rebus Ægyptiacis egregie versato, non

1. Warburt. p. 139.

ab ipso Clemente profectam esse, tot aliis rebus incumbente.

Sed audiamus scriptorem illum Stromatum eruditissimum, de triplici agentem, quæ in usu apud Ægyptios fuit, literarum ratione; nimirum epistolographica, quæ vocatur, hieratica sive sacerdotali, atque hieroglyphica. Quarum quidem de prima secundaque (in quibus scilicet alphabetice ordinabantur literæ,) mentionem tantum facit, nulla eam ob causam subjecta explicatione. *Αὐτίκα οἱ παρ' Αἰγυπτίοις παιδευόμενοι, πρῶτον μὲν πάντων τὴν Αἰγυπτίων γραμμάτων μέθοδον ἐκμανθάνουσι, τὴν ἐπιστολογραφικὴν καλουμένην· δευτέραν δὲ, τὴν ἱερατικὴν, ᾗ χρῶνται οἱ ἱερογραμματεῖς· ὑστάτην δὲ καὶ τελευταίαν, τὴν ἱερογλυφικήν· ἧς ἡ μέν ἐστι διὰ τῶν πρώτων στοιχείων, κυριολογική· ἡ δὲ συμβολική. τῆς δὲ συμβολικῆς ἡ μὲν, κυριολογεῖται κατὰ μίμησιν· ἡ δ', ὥσπερ τροπικῶς γράφεται· ἡ δὲ, ἄντικρυς ἀλληγορεῖται κατά τινας αἰνιγμούς· ἥλιον γοῦν γράψαι βουλόμενοι, κύκλον ποιοῦσι· σελήνην δὲ, σχῆμα μηνοειδὲς, κατὰ τὸ κυριολογούμενον εἶδος· τροπικῶς δὲ, κατ' οἰκειότητα μετάγοντες καὶ μετατιθέντες· τὰ δ', ἐξαλλάττοντες· τὰ δὲ, πολλαχῶς μετασχηματίζοντες, χαράττουσιν. τοὺς γοῦν τῶν βασιλέων ἐπαίνους θεολογουμένοις μύθοις παραδίδοντες, ἀναγράφουσι διὰ τῶν ἀναγλύφων· τοῦ δὲ κατὰ τοὺς αἰνιγμοὺς, τρίτου εἴδους, δεῖγμα ἔστω τόδε· τὰ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ἄστρων, διὰ*

την πορείαν τὴν λοξὴν, ὄφεων σώμασιν ἀπείκαζον· τὸν δὲ ἥλιον, τῷ τοῦ κανθάρου· ἐπειδὴ κυκλοτερὲς ἐκ τῆς βοείας ὄνθου σχῆμα πλασάμενος, ἀντιπρόσωπος κυλίνδει. φασὶ δὲ καὶ ἑξάμηνον μὲν ὑπὸ γῆς· θάτερον δὲ τοῦ ἔτους τμῆμα, τὸ ζῶον τοῦτο ὑπὲρ γῆς διαιτᾶσθαι· σπερμαίνειν τε εἰς τὴν σφαῖραν, καὶ γεννᾷν· καὶ θῆλυν κάνθαρον μὴ γίνεσθαι [1].

---

1. Strom. V. 2. p. 657. Quem locum, a Warburtono postea miris modis contortum, nec bene intellectum, recte omnino, ut mihi videtur, accepit Potterus. "Jam vero qui docentur ab Ægyptiis, primum quidem discunt Ægyptiarum literarum viam ac rationem, quæ vocatur epistolographica: secundo autem hieraticam, qua utuntur hierogrammates: ultimam autem hieroglyphicam; cujus una quidem species est per prima elementa, cyriologica dicta; altera vero symbolica. Symbolicæ autem una quidem proprie loquitur per imitationem; alia vero scribitur velut tropice; alia vero fere significat per quædam ænigmata. Qui solem &c." Nimirum παιδευόμενοι intelligens de *literis* tantum ediscendis, de vocibus πρῶτον μὲν πάντων sic, ut videtur, statuit, ut cum sequentibus δευτέραν δὲ......ὑστάτην τε καὶ τελευταίαν, omnino connecterentur; adeo ut illud μέθοδον ad singula, quorum meminit Clemens, ἀπὸ κοινοῦ et speciatim spectaret scribendi genera. Warburtonus autem (p. 123. seqq.), ut vocem scilicet μέθοδον generatim sumeret, Clementem finxit loqui de omnigena Ægyptiorum edocenda scientia; in toto hoc loco haudquaquam aliter interpretem agens, quam si id tantum asseverasset Clemens, eos scilicet, qui apud Ægyptios educantur, literas ante discere solere, quam ad arithmeticam, geometriam, musicam, ejusdemque farinæ cetera pervenerint. Vide Clem. Strom. I. 23. p. 413. Atqui quorsum hæc? Non enim Clemente

Hieroglyphica igitur, ut videtur, signa bipartito dividit Clemens; quorum una species cyrio-

---

mente nobis opus fuit, neque alio quopiam, ut ostenderet neminem, nisi qui imbutus fuerit literis Ægyptiis, Ægyptiam discere potuisse philosophiam. Adde quod tacet postea omnino Clemens de artium usu reconditiorum; quod profecto fecisse non potuisset, nisi de *literis* tantum Ægyptiis hic loci actum esset. Mox (p. 128. 129. et 127. not.), postquam voces ὑστάτην καὶ τελευταίαν satis recte Anglice verterat, sibi ipsi scrupulum injecit; sic videlicet exponendo, quasi si dixisset Clemens hieroglyphicam scribendi rationem novissime omnium excogitatam esse, ideoque antiquissimam fuisse epistolographicam: cum satis constet varios scripturæ modos non juxta ordinem antiquitatis, sed disciplinæ, ordinari. Perperam igitur omnino in sequentibus vertit ὑστάτην καὶ τελευταίαν, *the last and most perfect;* nam τελευταῖος non valet *perfectus,* sed *extremus.* Figura illa est, quæ a Grammaticis ἓν διὰ δυοῖν appellatur; quale Homericum illud, Εἰ μή οἱ πύματόν τε καὶ ὕστατον ἤντετ' Ἀπόλλων. (Iliad. X. 203.) Porro, tracta sententia ἧς ἡ μέν ἐστι δ. τ. π. σ. κυριολογική· ἡ δὲ συμβολικὴ ad vocem μέθοδον falso sumptam, ut modo ostendi, generatim, ita rem agit, quasi prius sententiæ membrum ad epistolographicam pariter hieraticamque scripturam pertineat, posterius tantum ad hieroglyphicam. Qua concessa assumptione, falsa, quod non mireris, tandem prodit conclusio; nempe symbolicas omnino esse notas hieroglyphicas. Quod si ita esset, quid fieret de cyriologicis, sic dictis, hieroglyphicis?

Hoc, uti sperandum fuit, vidit Vir magnus; qui in re desperata ulcus præcidendum potius duxit, quam medendum. Itaque, postquam interpretationem suam totius loci subjecit, prout, quod ad significationem attinet, a Clemente prodiisse existimat, et ab illa paullulum tantum fructus percepit, pergit ostendere (p. 131.) qualem denique prodiisse oportuit. In

quo

logica, sive propria; altera symbolica appellatur. Symbolicæ autem triplex ratio est; una scilicet,

---

quo quidem ostendendo ad veritatem tantum non accedit; immo, si tertiam symbolico hieroglyphicorum generi addas speciem, omnino. Quod tamen omne, ut patebit postea, ab ipsissimis Clementis verbis facile extundetur.

Quæ Clementi, ut vulgo intelligitur, a Warburtono objecta sunt (p. 127. not.), trifariam dividuntur. Primum sane, innuit absurdum plane esse Clementem, postquam de triplici literarum ratione mentionem fecit, unam tantummodo explicaturum fuisse, nempe hieroglyphicam. Verum enimvero, quod supra notavimus, nihil necesse fuit ut vel epistolographicarum vel sacerdotalium literarum indolem exponeret Clemens: quarum ratio, eo quod fuerit alphabetica, satis facilis esset intellectu; in eo tantum diversa, quod utrumque scribendi genus certæ hominum classi certisque rebus agendis erat destinatum. Deinde, communem affirmat interpretationem perinde de hoc loco constituere ac si dixisset Clemens, unam hieroglyphicæ speciem scriptionis literis institisse alphabeticis. Sed hoc nihil aliud est quam, quod logici dicunt, *principium petere.* Etenim illud στοιχεῖον non rectius de literis alphabeticis accipi potest, quam de primitivis illis scripturæ elementis, quæ ipsa rerum exprimendarum designatione fiebat. Huc accedat quod, ut amoveretur confusio, non διὰ στοιχείων simpliciter dixit Clemens, sed, quod fortius, διὰ τῶν πρώτων στοιχείων: quanquam probe scio literas interdum alphabeticas (apud Platonem scilicet Aristotelemque,) πρῶτα στοιχεῖα nuncupari. Sed hoc rarius. Ceterum nequeo non mirari nimiam hic loci obstinationem Warburtoni, sic fere rem agentis, quasi στοιχεῖον nullibi de literis usurpari posset, nisi alphabeticis; præsertim cum paullo ante, quando sibi usui fore arbitrabatur, eandem de hieroglyphicæ scriptionis elementis vocem intellexisset.

Vide

quæ proprie per imitationem, quoad licet[1], exponit; altera, quæ tropice loquitur; tertia, quæ

Vide p. 78. 79. not. Cf. etiam p. 195. De reliquis deinceps dicetur.

Quod ad locum istum attinet Porphyrii (Warb. p. 122. seqq.), vel potius, quod notavit Tychsenius, Antonii Diogenis, auctoris scilicet, ut perhibent, Thulensium quarundam, sic dictarum, fabularum, eum profecto nullius fere pretii æstimandum censeo. Namque, præterquam quod de hieratica scriptura prorsus tacuit, in eo quoque lapsus est, quod literas hieroglyphicas ex symbolicis omnino separavit; cum testetur omnis antiquitas has tantum illarum speciem quandam esse. Quocirca crediderim vel mutilum esse hunc locum, vel (quod probabilius,) ab auctore rerum Ægyptiarum imperito, neque de veritate narrationis suæ admodum sollicito, negligenter inconsiderateque congestum. Si vero ulla est omnino hujus loci vis, intelligendum est, opinor, loqui Antonium istum de hieroglyphicis literis bifariam dispartitis, cyriologicis videlicet symbolicisque; nulla symbolicarum, pro ignorantia sua, subjecta distributione, nec recto vocabulorum usu cognito: porro, adeo male omnino rem gessisse, ut duo ejusdem scribendi rationis genera pro diversis rationibus prorsus sumeret. Quod ad hieraticam scripturam spectat, ab eo ob rei inscitiam prætermissam fuisse nullus dubito, minime epistolographica inclusam, quod suspicatur Warburtonus. Verum, quoniam ea totius loci natura est, ut nihil in se habeat quod non depromi possit ex Clemente, multa habeat Clemens quæ hic frustra anquirentur, satius erit omnino missum facere. Itaque missum faciamus.

1. Hujusmodi signa, quorum indolem primus recte intellexit Zoega, in eo tantum a cyriologicis dictis hieroglyphicis discrepare videntur, quod illa rerum quarundam notiones, quæ ob naturam suam perfecte exprimi non possunt, ea tamen, qua licet,

ænigmatice. Cujus de natura partitionis infra latius uberiusque in animo est disserere.

De duobus tantum, ut videtur, literarum Ægyptiarum generibus mentionem facit Herodotus[2]; sacro videlicet, atque populari. Atqui, quoniam ne verbum quidem de earum usu naturave addidit, dubitari, nec injuria, potest an pro hieroglyphicis sumendæ sint sacræ illæ literæ, an hieraticis; quarum hæ, prout jam ante dictum est, secundum ordinem alphabeticum incedebant. Quod ait a dextris scribi ad sinistra, facit ut credamus loqui eum de hieraticis. Ea enim lex est hieroglyphicis, ut nunc a dextris ad sinistra, nunc a sinistris ad dextra, nunc etiam columnarum ritu insculpantur. Unde forsan non deerunt qui censeant hieroglyphicas notas *literas* appellare noluisse Herodotum, sed sub nomine potius τύπων illorum ἐγγεγλυμμένων[3] generatim complexum esse.

---

licet, imitatione, vel, si mavis, adumbratione designant; hæc vero proprie perfecteque imitantur. Ceterum hanc rem suo loco fusius tractabimus.

2. Γράμματα γράφουσι καὶ λογίζονται ψήφοισι, Ἕλληνες μὲν, ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιὰ φέροντες τὴν χεῖρα· Αἰγύπτιοι δὲ, ἀπὸ τῶν δεξιῶν ἐπὶ τὰ ἀριστερά· καὶ ποιεῦντες ταῦτα, αὐτοὶ μέν φασι ἐπὶ τὰ δεξιὰ ποιέειν, Ἕλληνας δὲ ἐπ' ἀριστερά. διφασίοισι δὲ γράμμασι χρέωνται· καὶ τὰ μὲν αὐτῶν, ἱρά· τὰ δὲ, δημοτικὰ καλέεται. II. 36.

3. II. 124. 136. 138. 148. 153. Cf. etiam 46. 73.

Verum, quo minus rem ita se habere existimemus, impedimento illud est, quod literas meminit Ægyptias in *lapidibus* exaratas; in quibus quidem huc usque nullum ab Ægyptiis antiquitus inscriptum repertum est literarum genus, nisi hieroglyphicum [1]. Hujusmodi sunt notæ illæ [2], quas in cippis Sesostridis [3], in Cheopis Asychisque pyramidibus, inque Sethonis statua, *γράμματα* simpliciter nuncupat; in Sesostridis autem, quæ in Ionia [4] prostabant, simulacris, *γράμματα ἱρά*. Ex quibus profecto id fere consectarium est, nempe Herodotum, in Ægypto peregrinantem, vel nihil

---

1. Quæ in nonnullis (e. g. Cleopatræ obeliscis, Warburt. p. 147.) repertæ sunt notæ alphabeticarum similes, pro hieroglyphicis agnitæ sunt infabre festinanterve exaratis. Nec vero illud omittendum, literas scilicet, ab antiquiorum temporum peregrinatoribus in Ægyptiis monumentis, quo adventum suum testarentur, incisas, sæpius nunc dierum pro genuinis sumi solere. Quod et de Memnonis statua intelligendum vidit Zoega.

2. II. 102. 106. 125. 136. 141.

3. Cf. Diod. Sic. I. 55. qui, de hieroglyphicis notis loquens, eas appellat *ἱερὰ γράμματα*. Neque aliter in tabula nuper cognita Rosettana; ΤΟΔΕ ΨΗΦΙΣΜΑ ΤΟΥΤΟ ΑΝΑΓΡΑΨΑΙ ΕΙΣ ΣΤΗΛΗΝ ΜΕΛΑΝΟΣ Σ] ΤΕΡΕΟΥ ΛΙΘΟΥ ΤΟΙΣ ΤΕ ΙΕΡΟΙΣ ΚΑΙ ΕΓΧΩΡΙΟΙΣ ΚΑΙ ΕΛΛΗΝΙΚΟΙΣ ΓΡΑΜΜΑΣΙΝ. Vide Appendicem. Lacunam ex conjectura explevit Porsonus.

4. Herod. II. 106.

omnino de hieraticis, proprie sic dictis, literis audivisse, vel, ob imperfectam rerum Ægyptiarum scientiam, de hieraticis hieroglyphicisque eandem prorsus rationem fuisse existimasse [5].

Bifariam etiam Ægyptiorum literas distribuit

---

5. Quod quidem facile fieret, sive cum Deguignio [*Mem. de l'Acad. des Inscript.* tom. XXXIV.] credamus hieraticam scripturam partim ex literis alphabeticis, partim ex hieroglyphicis figuris in compendium redactis et quasi perfunctorie pictis conflatam esse; seu Zoegæ potius opinioni accedamus, asseverantis id tantum inter populares hieraticasque literas omnino interfuisse, quod hæ quidem illis fuere "elegantiores, pictisque figuris magis similes, modo in nexus collectæ, modo pro exigua sonorum diversitate variatæ." Fatendum est cum Deguignio facere videri Apuleium (Metam. XI. p. 386. ed. Delph.): "Injecta dextra, Senex comissimus ducit me ad ipsas fores ædis amplissimæ, rituque solenni apertionis celebrato ministerio, ac matutino peracto sacrificio, de opertis adyti profert quosdam libros literis ignorabilibus prænotatos, partim figuris cujuscemodi animalium concepti sermonis compendiosa verba suggerentes, partim nodosis et in modum rotæ tortuosis capreolatimque condensis apicibus a curiosa profanorum lectione munitos." Si qui censuerint Sinensium fere more conscriptas esse literas, quas dicunt hieraticas, ii conferant insignem locum apud Martian. Capell. Satyric. II. p. 35. edit. Grot. "Erantque quidam [libri] sacra nigredine colorati, quorum literæ animantium *credebantur* effigies." Quod ad libros Ægyptios attinet ab Herodoto (II. 100.) laudatos, quorumque, ἱερῶν nuncupatorum, semel atque iterum meminerunt Diodorus, Manetho, aliique, crediderim equidem eos hieratice (cujus facilior scriptionis ratio esset,) fuisse exaratos, non hieroglyphice.

Diodorus[1]: quarum sacras, quas vocat, semel (si modo salvus sit locus,) hieroglyphicas appellat[2], sæpius tamen Æthiopicas; ab Æthiopibus scilicet (ut jam dictum est[3],) excogitatas, et apud eos vice fungentes popularium, cum in Ægypto cognitæ tantum fuerint sacerdotibus. Quas quidem, in lapidibus[4] passim obvias, docet non juxta syllabarum compositionem disponi, sed descriptarum imaginum loqui significatu apte inter se ordinatarum[5]. Quare minime Wesselingio[6] astipulandum censeo, suadenti in sacris illis literis non hieroglyphicas tantum, sed et hieraticas notas contineri[7]; cum multo sit probabilius inclusas esse hieraticas in popularibus; quippe quæ, ut

1. I. 81.

2. Vide supra, p. 7.

3. Supra, p. 26.

4. I. 27. 45. [Plutarch. de Is. et Os. tom. VII. p. 395. ed. Reisk.] 55. Cf. etiam 47. 49. 56. 57. 64.

5. III. 4.

6. Ut neque Pottero, qui idem censet ad locum Clementis supra citatum.

7. Quod licet ab Herodoto factum vix inficias iverim, minime tamen is ego sum qui credam idem Diodoro posse contigisse: qui in Ægyptiorum literis ac disciplina exercitatior multo fuisse videtur, quam ut alphabeticam cum hieroglyphica scripturam confunderet.

plerisque visum est, ordine, perinde ac populares, incesserint alphabetico.

Quin et, de cippo Sesostridis in Dira, quæ Æthiopum est, loquens, de sacris, in eo insculptis, literis (hoc est, hieroglyphicis,) commemoravit Strabo[8]. Ab eodem docemur utique sacerdotibus omnino usu comparatum fuisse, ut, quæ de Nili natura scriptitarent, quodcunque tandem reconditioris esset sapientiæ, sacris literis mandarent[9]. Quas et hic poni pro hieroglyphicis, ex illo probabile est, quod ait Lucanus[10]; nempe, quæ ad Nilum[11] spectabant, ea in adytorum parietibus insculpi solere. A Galeno[12] itidem, Achille Tatio[13], aliisque discimus, id curæ fuisse Ægyptiis, ut artium disciplinarumque, cujuscunque fuerint generis, ratio in cippis incideretur. Mox, de Thebæensibus agens obeliscis Strabo[14], literas in illis insculptas memorat, non autem indicato genere; quod et fecit Tacitus[15] in iis, quæ narravit de magnis Thebarum Ægyptiarum vestigiis:

---

8. XVI. p. 1114. ed. Almelov. Cf. etiam XVII. p. 1138.
9. XVII. p. 1139.
10. X. 179. seqq.
11. Cf. Horap. I. 21.
12. Adv. Julian.
13. Isagog. in Arat. Phænom. I.
14. XVII. p. 1170.
15. Ann. II. 60.

qui in alio loco[1] duplicem scribendi rationem Ægyptiis tribuit[2]; unam, eamque vetustiorem, hieroglyphicam; alteram, quæ literis insistebat alphabeticis[3].

In universum igitur apparet Ægyptios quidem antiquitus, in lapideis monumentis, literis tantum usos esse hieroglyphicis, quod vel ex ipso vocis etymo colligi potest; in libris, vel hieraticis, vel epistolographicis, nunquam autem hieroglyphicis. Frustra igitur, opinor, laborarunt, qui Hermeticos illos libros, de quibus mentionem fecit Clemens[4], hieroglyphice quadam ex parte scriptos fuisse existimarunt[5]. Nec vero felicius, me quidem judice, rem egerunt, qui ex Apuleii verbis su-

1. Ibid. XI. 14.

2. Cf. etiam Plin. XXXVI. 8. VI. 56.

3. Consulas etiam Lucan. III. 223. Cyrill. adv. Julian. IX. p. 299. ed. Spanh. Ammian. Marcellin. XVII. 4. XXII. 15. qui eam scribendi rationem, quæ per figuras animalium fiebat, in obeliscis cippisque, necnon in templorum adytorumque parietibus usitatam ferunt. Minus probatos auctores, Heliodorum, Ruffinum, alios, qui hieroglyphicas literas appellarunt hieraticas, prudens sciensque missos facio.

4. Strom. VI. 4. seqq.

5. Sic tamen Warburtonus, p. 156. et Tychsen. p. 9. 13. 14. in Clementis loco interpretando secutus Fabric. Bibl. Græc. tom. I. p. 85. (ed. Harles.) qui, ut locum in suas partes melius contorqueat, pro τά τε ἱερογλυφικὰ καλούμενα legit

pra citatis[6] duplicem scribendi rationem sibi visi sunt extudisse, hieroglyphicam scilicet atque hieraticam. Ceterum, ut verum fatear, nequeo non

---

legit τ. ἱ. κ. deleta particula τε; scilicet ut decem proxime sequentes libros hieroglyphice scriptos intelligat. Quocum sane nequeo consentire. Vulgatam potius lectionem retinuerim, et de ἱερογλυφικοῖς illis (separatim sumptis,) sic prorsus constituerim, tanquam de libellis quibusdam, hieratice conscriptis, hieroglyphicæ scriptionis naturam atque indolem (Lexicorum, quæ vocant, ritu,) exponentibus. Cf. Plutarch. Dæm. Socr. tom. II. p. 577. Qui vero decem illos libros (vide locum Clementis,) sub ἱερογλυφικῶν nomine quasi vinculo illigandos arbitrantur, ii velim intelligant desumptos ab antiquis hieroglyphice insculptis monumentis esse, hieraticeque et εἰς πλάτος (cf. Euseb. Præp. Ev. p. 44.) exaratos. Unum exemplum notarum hieroglyphicarum hieratice transcriptarum suppeditabit notum illud Manethonis fragmentum in Syncell. Chronogr. p. 40. ed. Grot. si modo cum Zoega ἱερογλυφικοῖς legamus pro ἱερογραφικοῖς (quod vidit Jablonsk. Panth. Ægypt. V. v. 19.), ac versa vice; necnon κοινὴν pro Ἑλληνίδα. Quarum hæc vox, illi a male sedulis scriptoribus librariis Græcis pro glossa superscripta, in locum ejus tandem irrepsisse videtur. Κοινὴ illa dialectus eadem fuit de qua Maneth. apud Joseph. cont. Ap. I. 14. Τὸ γὰρ ΥΚ καθ' ἱερὰν γλῶσσαν βασιλέα σημαίνει· τὸ δὲ ΣΩΣ ποιμήν ἐστι καὶ ποιμένες κατὰ τὴν κοινὴν διάλεκτον. Neque aqua hæret ob vocem γράμμασι, eo quod conjungitur cum ἱερογλυφικοῖς, quod prætermisit Warburtonus; quanquam hanc locutionem usurpantem paullo ante citaverat Porphyrium. Vide p. 122. not. Γράμματα de hieroglyphicis passim usurparunt Herodotus, Diodorus, Clemens, aliique. Obiter corrigendus est Ammian. Marcellin. XXII. 15. Legendum videtur *hieroglyphicas*. Et sic citat Jablonsk. Panth. Ægypt. V. v. 14.

6. P. 37.

suspicari ad notas quasdam serioris ævi respexisse Apuleium, quales in tabula Bembina[1] passim reperies, ad Commodi Caracallæve ætatem, si modo Jablonskio credendum sit, detrudenda; quibus fortuito visis, facile fabulam istam de libris pari ratione scriptis, deque egregia sacerdotis comitate, comminisceretur.

Quo quidem posito, pergamus diversa signorum hieroglyphicorum genera, quorum meminit Clemens, singulatim explicare. Illud tantum præfari lubet; nempe unam omnino præ se ferre faciem videri scripturam hieroglyphicam, utcunque diversis temporibus casu deditave opera variatum fuerit; non plures, uti visum est plerisque. Unam enim ubique speciem præbent omnia, quæ supersunt, monumenta; quemadmodum in Græcorum libris una tantum lingua conspicienda est, licet pro ingenio auctoris tractandæve rei natura, prove locorum aut temporum ratione diversum tracta sit atque modificata. Huc etiam apprime illud facit, quod, sicuti antea diximus, hieroglyphicorum est designatas figuris animi notiones recto ordine[2], prout Græcæ aliusve scriptionis

1. Typus totius tabulæ, quæ et Mensa Isiaca appellatur, extat apud Kircher. Œd. Ægypt. tom. III. p. 79. Cujus particulam habebis apud Warburtonum.

2. Cf. Ammian. Marcellin. XVII. 4. Rem sic se habuisse vel

modus est, constituere. Si quæ igitur, quod identidem fieri oportuit, iteranda esse viderentur sensa,

---

vel ex decantata illa inscriptione patet, quam in Minervæ templi, quod in Sai est, insculptam propylæis fuisse tradit Plutarchus. Cujus ratio fuit ut, Infantis, Senis, Accipitris, Piscis, Hippopotami denique proprio ordine connexis inter se figuris, hæc sententia indicaretur: QUI NASCERIS, QUIQUE INTERIS, DEUS ODIT IMPIETATEM. Eundem titulum meminit Clemens in templo Jovis, ni fallor, Thebæensis; nisi quod crocodilum habet pro hippopotamo. Videtur idem sibi fere voluisse, quod Orphicum illud, *θύρας ἐπίθεσθε βεβήλοις*; originemque traxisse ex fabuloso illo Typhone, qui fertur bellum diis indixisse, eo scilicet quod, sicuti Evemerus (vide Cic. de Nat. Deor. I. 42.), Dionysius Phryx, atque id genus alii, in mysticas sacerdotum Ægyptiorum ineptias nimis curiose inspicere ausus est. Typhonem sub hippopotami figura delineatum commemorarunt Plutarchus, et Porphyrius apud Eusebium. Huc videtur respexisse Horapollo (I. 56.); *Ἄδικον δὲ καὶ ἀχάριστον, ἱπποποτάμου ὄνυχας δύο, κάτω βλέποντας, γράφουσιν. οὗτος γὰρ, ἐν ἡλικίᾳ γενόμενος, πειράζει τὸν πατέρα, πότερόν ποτε ἰσχύει μαχόμενος πρὸς αὐτόν. καὶ ἐὰν μὲν ὁ πατὴρ ἐκχωρήσῃ, τόπον αὐτῷ μερίσας, οὗτος πρὸς τὴν ἑαυτοῦ μητέρα ἐπίγαμον* [an *ἐπὶ γάμον*] *ἥκει, καὶ ἐᾷ τοῦτον ζῆν· εἰ δὲ μὴ ἐπιτρέψειεν αὐτῷ ποιήσασθαι πρὸς τὴν μητέρα γάμον, ἀναιρεῖ αὐτὸν, ἀνδρειότερος καὶ ἀκμαιότερος ὑπάρχων. εἰς δὲ τὸ κατώτατον μέρος ὄνυχας δύο ἱπποποτάμου, ὅπως οἱ ἄνθρωποι τοῦτο ὁρῶντες, καὶ τὸν περὶ αὐτοῦ λόγον ἐπιγινώσκοντες, προθυμότεροι εἰς εὐεργεσίαν ὑπάρχωσι.* Observandum est, quam apte cum hisce cohæreant quæ de accipitre idem auctor notavit; *Θεὸν βουλόμενοι σημῆναι......ἱέρακα ζωγραφοῦσι* (I. 6.) Cf. Plutarch. de Isid. tom. VI. p. 436. 464. 465. Clem. Alex. V. 7. Item de pisce; *Ἀθέμιτον δὲ δηλοῦντες, ἢ καὶ μῦσος, ἰχθὺν ζωγραφοῦσι, διὰ τὸ τὴν τούτων βρῶσιν μισεῖσθαι καὶ μεμιᾶσθαι ἐν τοῖς ἱεροῖς. κενοποιὸν γὰρ ἰχθὺς πᾶς, καὶ ἀλληλόφαγον* (I. 44.) Cf. etiam I. 14. Herod.

easdem quoque figuras magna ex parte iterari necesse erat. Nec profecto is sum qui credam Ægyp-

---

rod. II. 37. Exinde apparet Plutarchi expositionem διὰ τὴν θάλατταν, quam de suo penu deprompsit, nauci omnino esse. Idem dictum puta de Pierio (Hieroglyphic. Lib. XXXI.) Quod ad Horapollinis, quam dubitarunt nonnulli, fidem attinet, cf. etiam I. 11. 62. cum Amm. Marcell. XVII. 4. Pari modo atque in hac inscriptione, ut ex ipso colore interpretationum liquet, ordinatæ fuisse videntur figuræ hieroglyphicæ in illis quæ apud Herodotum, Diodorumque passim memorantur. Locum illum de Sethone operæ pretium erit citare. Καὶ νῦν οὗτος ὁ βασιλεὺς ἕστηκε ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἡφαίστου λίθινος, ἔχων ἐπὶ τῆς χειρὸς μῦν· λέγων διὰ γραμμάτων τάδε, ΕΣ ΕΜΕ ΤΙΣ ΟΡΕΩΝ, ΕΥΣΕΒΗΣ ΕΣΤΩ (II. 141.) Quo pacto loquentium statuis subnectebantur literæ, videbis apud Herod. II. 106. Sic etiam in obeliscis insculptæ occurrunt sæpius Regum Deorumque formæ eloquentium: quod cum alibi factum reperies, tum in superiore parte Septentrionalis lateris obelisci Ramessæensis (Warburton. p. 75. Kircher. Œd. Ægypt. tom. III. p. 161.); ubi, inquam, manifestum est majusculas illas figuras minime pro literis hieroglyphicis habendas esse, sed cultum dei cujusdam, picturæ ritu, ostendere. Suspensæ illæ notæ hieroglyphicæ dei sunt, credo, loquentis. Idem in eodem obelisco similiter factum videtur inferius. Conferatur etiam nota illa inscriptio, quam in Minervæ templo, quod in Sai est, prostantem meminit Plutarchus; ΕΓΩ ΕΙΜΙ ΠΑΝ ΤΟ ΓΕΓΟΝΟΣ, ΚΑΙ ΟΝ, ΚΑΙ ΕΣΟΜΕΝΟΝ. ΚΑΙ ΤΟΝ ΕΜΟΝ ΠΕΠΛΟΝ ΟΥΔΕΙΣ ΠΩ ΘΝΗΤΟΣ ΑΠΕΚΑΛΥΨΕΝ (De Is. p. 396.) Cf. Procl. in Tim. I. p. 30. Addam aliam ex Theon. Smyrn. Mathem. Platon. II. 47. Ἐν δὲ Αἰγυπτιακῇ στήλῃ φησιν Εὔανδρος εὑρίσκεσθαι γραφήν· ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΚΡΟΝΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΡΕΑΣ [ΥΙΟΣ] ΠΡΕΣΒΥΤΑΤΟΣ, [ΒΑΣΙΛΕΥΣ] ΠΑΝΤΩΝ ΟΣΙΡΙΣ, ΘΕΟΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟΙΣ, ΠΝΕΥΜΑΤΙ, ΚΑΙ ΟΥΡΑΝΩΙ,

ΚΑΙ

tios in veterum notarum loca novas nisi caute pedetentimque intromissuros fuisse. Etenim, si res aliter se haberet, vix et ne vix quidem fieri potuit ut scriptura hieroglyphica nisi ab ipsis scriptoribus intelligeretur. Quæ quidem, ut opinor, incrementis potius de die in diem tarde gradatimque factis, quam ipsa signorum veterum mutatione est novata. Nec vero cum Warburtono facere queo[1], tres epo-

---

ΚΑΙ ΓΗΙ, ΚΑΙ ΝΥΚΤΙ, ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ, ΚΑΙ ΠΑΤΡΙ ΤΩΝ ΟΝΤΩΝ ΚΑΙ ΕΣΟΜΕΝΩΝ ΕΡΩΤΙ, ΜΝΗΜΕΙΑ ΤΗΣ ΑΥΤΟΥ ΑΡΙΣΤΗΣ ΒΙΟΥ ΣΥΝΤΑΞΕΩΣ. Voces uncinis inclusæ ex conjectura sunt Zoegæ, provocantis ad Diodorum (I. 27.); qui et ἔρωτι dedit pro vulgata ἔρω τε. Idem in nota ad citatum hunc locum ἀρίστης, quanquam timidius paullo, proposuit; quam lectionem recepi. Vulgo legitur ἀρετῆς. Quæ vox si retineatur, subjicienda est statim conjunctio καὶ, ut ne sensus claudicet. Sed illud concinnius. Facile permutari inter se poterant E et IΣ. Confert Zoega Diodor. I. 49. Συνεχεῖς δὲ ταύτῃ ὑπάρχειν τῶν κατ' Αἴγυπτον θεῶν ἁπάντων εἰκόνας, τοῦ βασιλέως ὁμοίως δωροφοροῦντος, ἃ προσῆκον ἦν ἑκάστοις, καθάπερ ἐνδεικνυμένου πρός τε τὸν Ὄσιριν καὶ τοὺς κάτω παρέδρους, ὅτι τὸν βίον ἐξετέλεσεν εὐσεβῶν καὶ δικαιοπραγῶν πρός τε ἀνθρώπους καὶ θεούς. Cf. etiam tabulam supradictam Rosettanam (ad init.); ΚΥΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ ΜΕΓΑΛΟΔΟΞΟΥ, ΤΟΥ ΤΗΝ ΑΙΓΥΠΤΟΝ ΚΑΤΑΣΤΗΣΑΜΕΝΟΥ, ΚΑΙ ΤΑ ΠΡΟΣ ΤΟΥΣ ΘΕΟΥΣ ΕΥΣΕΒΟΥΣ, ΑΝΤΙΠΑΛΩΝ ΥΠΕΡΤΕΡΟΥ, ΤΟΥ ΤΟΝ ΒΙΟΝ ΤΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ΕΠΑΝΟΡΘΩΣΑΝΤΟΣ.

1. Dignus omnino qui hic loci citetur Zoega est; cujus verba exscribam. "Quæ probabili ratione statui posse videntur hieroglyphicæ scripturæ epochæ atque vicissitudines, hæ fere sunt:

I. Ante inventas literas alphabeticas ad omnia, quæcun-

que

chas statuenti, unam scilicet notarum synecdochicarum; alteram tropicarum; tertiam ænigmaticarum.

---

que memoriæ mandanda censuerunt Ægyptii, usi sunt literis hieroglyphicis, a primitiva simplicitate atque paupertate sensim auctis et per symbola ad ænigmata traductis.

II. Inventa scriptura alphabetica, hanc in epistolis, et quæ alia sunt communis vitæ usibus inservientia adhibuere Ægyptii, eandemque sub hieraticæ scripturæ appellatione ornatiorem et occultiorem redditam in libris, forsan et mature in linteis mumiarum integumentis, usurpavere: hieroglyphica autem scriptio servata est in lapidibus, inque aliis publicis sacrisque monumentis; etiam in cadaverum involucris et in libris sacratioribus nonnullis.

III. Postquam sub Psammetichidarum imperio auctoritas sacerdotum deprimi cœpit, mysteria affectarunt, et data opera hieroglyphicam scripturam ænigmatibus augere studuerunt.

IV. Sub Ptolemæorum dynastia hieroglyphica scriptura fere non nisi in iis monumentis adhiberi perseveravit, quæ Ægyptiis diis immediate essent dedicata, inque cadaveribus patrio more ornandis. Sensim quoque ad novas ideas a Græcis Ægypto invectas exprimendas traducti fuerunt characteres hieroglyphici, veteribusque monumentis novæ interpretationes adstructæ.

V. Ægyptia Græcaque religione in Ægypto in unum conflatis, et antiquo sacerdotum Ægyptiorum instituto fere extincto, sensim periit veterum hieroglyphicorum genuina inteligentia, quam Romanis Ægypto imperantibus e tenebris eruere frustra conati sunt eruditi viri, et pro sincera veterum inscriptionum interpretatione mixtum quid proposuere ex Ægyptiis Græcisque notionibus. Tamen continuatum est in lapidibus, in cadaverum integumentis et in libris ad mysteria pertinentibus, cum vetera scripta hieroglyphica accurate describere, tum nova pro seculi ingenio concinnare.

VI. Tertio quartoque vulgaris æræ seculo ad nova mysteria,

Cum enim liquido constet vel in simplici pictura permulta tropice, ne dicam ænigmatice, conscripta esse, ex ipsa rei natura manifestum est jam inde a principio omnigenis refertam esse tropis scripturam hieroglyphicam.

Ac primo, ut nobis, quod aiunt, procedant postprincipia[1], de notis illis hieroglyphicis loquamur, quas cyriologicas, sive proprias appellant. Quibus quidem, postquam de simplicis picturæ indole jam fusius edissertatum est, vix ulla opus erit explicatione. Huc, ut videtur, pertinent effigies illæ Infantis, Senisque, in Saitica, de qua supra diximus[2], inscriptione reperiundæ; eo tantum sub hieroglyphicorum nomine comprehendendæ, quod sic prorsus concinnatæ sint constitutæque, ut singulis notionibus singulæ respondeant figuræ; ita ut apte inter se congruant compages sententiarum. Idem intellectum velim de regum deorumve figuris, qui in media notarum hierogly-

---



ria, theurgica, gnostica, magica, chemica traducti fuerunt characteres hieroglyphici, ac vetus sensus fere oblivioni traditus. Attamen usque ad Ægyptum ab Arabibus captam aliqua superfuisse videtur eorum intelligentia, sed eo pacto ut pro veteri significatione quisquis pro ingenio suo novam substitueret, veteri aliquo modo affinem." p. 549.

1. Plaut. Pers. IV. 1. 3.

2. P. 43.

phicarum serie, proprio habitu induti, semel atque iterum occurrunt. Quas quidem si excipiamus, perpaucas hujusce generis notas erit conspicere. Causa quidem in promptu est. Etenim, ordine figurarum sic digesto, paucæ admodum notiones reperiri poterant, quæ singulis notis exprimerentur, nude sic simpliciterque positis. Adde quod harum, si quæ repertæ fuerint, ipsarum plurima pars tropice, hoc est alienarum figurarum ope, multo facilius describerentur.

Ad symbolicas, quas sic nuncupat Clemens, notas accedo. Quarum primum, ut supra dictum est[1], genus cyriologicis assidet sic dictis hieroglyphicis; in eo tantum discrepans, quod quarundam rerum formas, quoad licet, imitando exprimit, cum præter earum naturam sit in certam præstitutamque normam imitationis quadrare. Sic, si qui solem (inquit Clemens,) velit depingere, circulum discumve ducit; si lunam, figuram quandam lunatam; cum satis pateat neutrum accuratum esse fingendi modum. Nam circulus ille non solem magis refert, quam lunam, ubi plena sit. Nec lunæ convenit, nisi ubi falcata ipsa sit, figura illa, de qua Clemens, *μηνοειδής*. Quæ ni ita essent, nihil hæc signa a cyriologicis supradictis

---

1. P. 34.

distarent hieroglyphicis; nec quicquam omnino in se symbolicum continerent; quippe quæ nihil aliud essent, nisi ad amussim ducta ipsa rerum significandarum imitamenta. Quæ, ut videtur, signa exilitate fere quadam linearum, perinde ac diagrammata, quæ vocant, mathematicorum, ducta ac circumscripta, quod res exprimendas imitantur, cyriologica sunt; quod ab illa imitatione quadam ex parte excidunt, symbolica: ita ut recte a Clemente in symbolicorum, sic nuncupatorum, hieroglyphicorum ordinem fuerint cooptata. Has notas crediderim præcipue usurpasse Ægyptios, si quando cœlum, stellas, ignem, fluvios, civitates, ceteraque ejusmodi, essent significaturi. Ceterum, quod dixi de cyriologicis notis, paucas scilicet in Ægyptiorum monumentis reperiri posse, idem eademque fere de causa dicendum videtur de propriis, quas vocat Clemens, symbolicis.

Tertium genus notarum, (quod symbolicarum secundum,) idemque omnium longe usitatissimum, tropicum est[2]; quod hieroglyphicæ scriptionis quasi stirps atque fundamentum vere dici potest. Quarum quidem ea vis varietasque fuit, ut, apte (quod ait Clemens,) convenienterque traducendo transferendoque, partim immutando, partim etiam

2. Hujuscemodi maxima pars est notarum hieroglyphicarum, quotquot apud auctores supra citatos reperiuntur.

rursum prorsum transformando, nihil fere esset quod non earum ope vel facillime significaretur. Sic synecdochice, si de turba tumultuante esset locutio, hominem sagittas jaculantem pingebant[1]; belli aciem indicaturi, manus duas[2]; quarum una quidem scutum, altera vero arcum tenebat. Metonymice autem fumum ascendentem ponebant pro igne[3]; pro Nilo proque aqua potabili crocodilum[4]; equi cadaver pro vespis[5]; pro culicibus confertis vermes[6]; linguam oculumque, vel linguam cum manu subtus posita, pro sermone[7]. Mixtim itidem ex synecdocha metonymiaque, fortitudinem significantes virilem pingebant naturam; ignaviam contra muliebrem[8]. Sic, si laborem indicarent, bovis masculi[9], si ultionem, vaccæ cornu effinxerunt[10]. Quæ metaphorice scriptæ occurrunt notæ, quod in re tali expectandum fuit,

1. Horap. II. 12.
2. Ibid. II. 5.
3. Ibid. II. 16.
4. Porphyr. apud Euseb. III. 11.
5. Horap. II. 44.
6. Ibid. II. 47.
7. Ibid. II. 27.
8. Herod. II. 102. Diod. I. 55. &c.
9. Horap. II. 17.
10. Ibid. II. 18.

pæne innumeræ sunt. Exempli gratia, pro fortitudine leonem[11]; pro agri cultura bovem[12]; pro rapacitate ac furore crocodilum[13]; pro homine guloso scarum[14]; pro sene musico cygnum[15]; pro homine de sua sollicito sepultura elephantem proprios dentes, prout mos est, defodientem[16]; pro quovis viribus præpollente, facilique ad ea, quæ utilia sint, dignoscenda eundem faciunt cum proboscide[17]; et sic deinceps. Egregie autem a Clemente observatum est, cum fabulis mythologicis regum suorum laudes omnino permiscuisse Ægyptios[18], ita ut hæ sane ab illis vix et ne vix quidem

---

11. Clem. Alex. Strom. V. 7.

12. Ibid. et Macrob. Sat. I. 19.

13. Horap. I. 67. Diod. III. 4. Alias crocodili significationes prodit Horap. I. 68. 69. 70. II. 80. 81. Ænigmatice accepti occurrit mentio apud Plutarch. de Isid. et Clem. Alex. V. 7.

14. Horap. II. 109. Οὗτος γὰρ μόνος τῶν ἰχθύων μαρυκᾶται, καὶ πάντα τὰ προσπίπτοντα ἰχθύδια ἐσθίει. Mirificum sane piscem! si Oppiano pariter credendum sit: Καὶ σκάρον, ὃς δὴ μοῦνος ἐν ἰχθύσι πᾶσιν ἀναύδοις Φθέγγεται ἰκμαλέη λαλάγην.

15. Ibid. II. 39. Οὗτος γὰρ ἥδυτατον μέλος ᾄδει γηράσκων. An verum sit, necne, prorsus nescio. Ut ut illud sit, exinde nil dubium est emanasse fabulam istam, toties et apud Græcos et apud Latinos poetas concelebratam; cygnum scilicet semel tantum, antequam diem obit supremum, cantare solere.

16. Ibid. II. 88.

17. Ibid. II. 84.

18. Quod vel præsertim fit in tabula nuperius reperta Rosettana.

segregarentur. Sic Sesostridis, Mycerini, Rhampsiniti, aliorumque historia cum religiosis quibusdam fabulis adeo legitur commixta, ut quid ad historiam, quid ad fabulam spectet, non raro difficillimum sit dijudicatu. Quapropter tantum abest ut, quæ a Bandinio objiciebantur interpretationi Flaminii obelisci, ab Hermapione conflatæ, (ita videlicet conceptam esse, ut, de deone, an de rege, sermo sit, in dubio relinquatur,) Hermapionis fidem quasi cuniculis expugnet, ut insigne illud fragmentum plus auctoritatis atque ponderis ab hoc uno argumento necessario consequatur[1].

1. Epitomen tantum, ut optime observavit Zoega, hujus obelisci scripsisse videtur Hermapion; non notas hieroglyphicas, prout plerisque visum est, verbum verbo reddidisse. Cujus sane nihil præter fragmentum extat; apud Ammian. Marcellinum scilicet. Vide Appendicem. Verum enimvero de Græca hac interpretatione adeo in obscuro res est, ut, ad Flaminiumne, an ad Ramessæensem (sive Lateranensem,) pertineat obeliscum, adhuc dubitetur. Marshamus (Can. Chron. p. 457.) de posteriore intelligendam autumat. De priore accipit Zoega. Ut Flaminium fuisse credamus obeliscum, quem (συντόμως proculdubio,) interpretatus est Hermapion, suadet (quod a nemine notatum vidi,) ipsius Solis, ni fallor, figura in latere cum meridionali, tum etiam septentrionali, insculpta. Is enim esse videtur deus, in summo scapo sub pyramidio sessitans; in meridionali latere, ἱερακόμορφος, juxta illud Anticlidis a Warburtono citati, Ἠέλιος δὲ Νότοιο ἄναξ, ἵεραξ πολύμορφε; in septentrionali, propria forma indutus. Rem extra dubitationem ponit circulus ille supra caput pendens, de quo Clemens Alex.

Strom.

Restat ut de ænigmaticis notis disseramus, ob hoc tantum a tropicis distinguendis, quod longius abhorrent a re significanda, inque nexus quosdam perreconditos, metaphoris undiquaque coacervatis, miris modis contortiplicantur[2]. Inde quidem fit a tropicis sæpissime separari non posse; cum permulta sint ab Ægyptiis tropice tantum scripta, quæ a nobis, ob inscitiam rerum Ægyptiarum, non nisi pro ænigmaticis sumi solent. Exempla attulit Clemens serpentum, ob voluminum tortuosorum similitudinem, pro sideribus variis hieroglyphice delineatorum. Scarabæum[3] itidem meminit ænigmatice pro Sole positum; quanquam scarabæi figuram (quæ in omnibus fere Ægyptiorum reperitur monumentis,) longe aliter videtur intellexisse Horapollo[4]. Porro Isis, quæ cyriologice ipsam

---

Strom. V. 4. *ἥλιον γοῦν γράψαι βουλόμενοι, κύκλον ποιοῦσι.* In Lateranensi autem nulla istiusmodi figura est. Is enim non Soli, sive Apollini, sed Jovi Thebæensi sacratus fuisse videtur. Uterque apud Kircherum obeliscus est, p. 161. et 213. (Œd. Ægypt. tom. III.) Observandum est eandem Solis hieracocephali figuram in Sallustiano occurrere obelisco, a Flaminio, ut supra dictum est, magna ex parte desumpto; nec non in Barberino Campensique. Vide Kircher. Œd. Ægypt. tom. III. p. 271. et De obelisco Cæs. Aug. e Camp. Mart. ruderibus nuper eruto Commentar. auctore Angel. Mar. Bandinio. Rom. 1750.

2. Plaut. Pers. IV. 6. 26.

3. Cf. Plutarch. de Isid. p. 497.

4. Qui in primo præsertim libro plurimas notas, ex obscuritate

deam significat, tropice autem, quæ Isidi in sacris erat, caniculam, ænigmaticè scripta, annus est[1]. Quin et cor discimus super thuribulo, in quo inest ignis, suspensum, tropice interpretatum, zelotypiam esse; ænigmatice vero Ægyptum; ob insignem regionis calorem scilicet[2]. Sic etiam, significatione latebris obscuritatis variis modis involuta, deum, aut fatum, numerumve quinarium innuentes, stellam[3]; patulum quippiam, leporem[4]; originis antiquitatem, fasciculum papyri[5]; os denique, serpentem[6] depingebant. Sed de his jam satis verba facta sunt[7].

---

ritate minus obvias, exponendas curavit. Loca de scarabæo sunt I. 10. 13. II. 41.

1. Horap. I. 3.

2. Ibid. I. 22. *Αἴγυπτον δὲ γράφοντες, θυμιατήριον καιόμενον ζωγραφοῦσι, καὶ ἐπάνω καρδίαν. δηλοῦντες ὅτι ὡς ἡ τοῦ ζηλοτύπου καρδία διαπαντὸς πυροῦται, οὕτως ἡ Αἴγυπτος, ἐκ τῆς θερμότητος διαπαντὸς ζωογονεῖ τὰ ἐν αὐτῇ ἢ παρ' αὐτῇ ὑπάρχοντα.* Minus recte igitur annotavit Zoega (p. 200. not. 4.) cor mundi Ægyptum appellavisse Horapollinem; nec quicquam ad rem sunt loca illa de Delphis, *ὀμφαλῷ γῆς* dictis, cum Horapolline collata.

3. Horap. I. 13.

4. Ibid. I. 26.

5. Ibid. I. 30.

6. Ibid. I. 45.

7. Quod ad *crucem* illam, quam vocant, *ansatam* attinet, quæ in omnibus fere Ægyptiorum monumentis reperitur, ut et

in

In universum igitur ea hieroglyphicorum erat natura, ut vel lingua, vel scriptura, æque recte ap-

---

in tabula nuper cognita Rosettana, quamque meminerunt Gorop. Becan. Hierogl. Kircher. Œd. Ægypt. tom. III. p. 13. 277. 278. Prodr. Copt. V. necnon et in Obelisc. Pamph. Sozom. Eccles. Hist. VII. 15. Ruffin. Eccl. Hist. II. 29. Jablonsk. Panth. Ægypt. I. p. 282. dictitaruntque falso idem valere ac *vita ventura*, nugas istas, a nescio quibus fanaticis ac male sedulis Christianis conflatas commentasque, quasi spongia detergebit insignis Suidæ locus. Ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου βασιλέως, καθαιρουμένων τῶν Ἑλληνικῶν ἱερῶν, εὑρέθησαν ἐν τῷ τοῦ Σαράπιδος νεῷ ἱερογλυφικὰ γράμματα σταυροῦ ἔχοντα τύπους· ἅπερ θεασάμενοι οἱ ἐξ Ἑλλήνων Χριστιανίσαντες ΕΦΑΣΑΝ σημαίνειν τὸν σταυρὸν, παρὰ τοῖς ἱερογλυφικὰ γινώσκουσι γράμματα, ζωὴν ἐπερχομένην. Vide in σταυρός. Cf. etiam Socrat. Hist. Eccles. V. 17. Theoph. Chronogr. p. 49. In eundem etiam errorem incidere Mercerus et Hœschelius, in initio videlicet ad Horapollinem annotationum. Ansulam pro oculo sumendam satis festinanter censet Lipsius, (De Cruce, I. 8. not.) deque cetera figuræ parte tanquam de sceptro statuit, provocans ad Macrob. Saturn. I. 21. "Osirim Ægyptii ut Solem esse asserant, quoties hieroglyphicis suis literis exprimere volunt, insculpunt sceptrum, inque eo speciem oculi exprimunt, et hoc signo Osirim monstrant, significantes hunc deum solem esse, regalique potestate cuncta sublimem despicere, quia solem Jovis oculum appellavit antiquitas." Cf. etiam Plutarch. de Iside, p. 398. 465. Cyrill. contra Julian. IX. p. 299. Pro clave Nili satis ingeniose accipit Zoega. Vide figuras Solis in pyramidio obelisci Campensis (apud Zoegam Bandiniumque); quarum conspectus insulsam istam Lipsii interpretationem proculcabit pessundabitque. Quid sit hæc nota, adhuc certe in obscuro est. In præsens, quod in hisce rebus aliquid est, sufficiat ostendisse quid non sit.

pellari possent. Quorum quidem usus, ut jam

Quintum genus notarum addit Zoega (p. 454.), quibus nomen indidit phoneticarum. Quas quidem, se judice, in quodam Horapollinis loco subodoratus est, et in se viris equisque obnixe defendendas suscepit; utpote quarum ope novam ad recludendam alphabeticarum literarum originem excogitaret viam. Vide p. 553. Locum Horapollinis exscribam. Ἔτι γε μὴν καὶ ἀντὶ ψυχῆς ὁ ἱέραξ τάσσεται, ἐκ τῆς τοῦ ὀνόματος ἑρμηνείας. καλεῖται γὰρ παρ' Αἰγυπτίοις ὁ ἱέραξ, BAIHΘ. τοῦτο δὲ τὸ ὄνομα διαιρεθὲν, ψυχὴν σημαίνει καὶ καρδίαν. ἔστι γὰρ τὸ μὲν BAI, ψυχὴ, τὸ δὲ HΘ, καρδία. ἡ δὲ καρδία κατ' Αἰγυπτίους, ψυχῆς περίβολος· ὥστε σημαίνειν τὴν σύνθεσιν τοῦ ὀνόματος, ψυχὴν ἐγκαρδίαν. ἀφ' οὗ καὶ ὁ ἱέραξ, διὰ τὸ καὶ πρὸς τὴν ψυχὴν συμπαθεῖν, ὕδωρ οὐ πίνει τὸ καθόλου, ἀλλ' αἷμα, ᾧ καὶ ἡ ψυχὴ τρέφεται (I. 7.) Ex quo quidem colligit significationem hieroglyphicorum ex soni similitudine interdum pependisse; cum nihil tale innuisse Horapollinem facile mecum persuasum habeam. Totius loci interpretationem sic expedio. Vox Ægyptiaca βαϊήθ (ex radicibus sc. βαΐ, *anima*, et ἤθ, *cor*,) significat *anima in corde inclusa*, (juxta fabulam quandam, quæ animam septam corde, ibique vescentem sanguine effinxit,) et exinde simpliciter *anima*. Accipitrem igitur hieroglyphice, idque tropice tantum, pro anima ponebant; non quod, ut falso vult Zoega, commune accipitri cum anima *a priori* (ut dicunt logici,) nomen fuit βαϊήθ, sed quod de anima ipsa deque accipitre eadem fuit ratio; quorum scilicet uterque sanguine tantum nutritus ferebatur. Cf. etiam Horap. I. 6. Fatendum est verba Horapollinis contortula esse ac subobscura. Verum cuivis paullo attentius rem indaganti perpendentique huc, nisi vehementer erro, tandem redibunt.

Ex quo tamen loco, cum alio ejusdem auctoris (I. 38.) conjuncto, illud (nisi fallor,) discimus; eos nempe, qui hieroglyphicas literas viva voce legebant, sæpius rei significatæ nomen figuræ, cujus ope significata est, indidisse; ut et

versa

dictum est, præcipuus in lapideis videtur fuisse

---

versa vice. Sic *βαϊήθ*, quod proprie *anima* sonat, nuncupatus est etiam *accipiter*, qui *animam* hieroglyphice significabat. E contrario, in loco proxime citato, siquidem recte intelligo, *eruditionem* discimus appellatam esse Ægyptiace Σβῶ, quanquam Σβῶ, ut videtur, proprie est *cibi copia;* idque quod *literæ Ægyptiacæ* sub *cribri* figura hieroglyphice fuerint expressæ. Ex quibus patet, quanquam remotius paullo, a re, quæ significat, ad significatam rem nomen hic omnino tractum esse.

Exinde forsan prognata est ἱερὰ illa διάλεκτος, quam alii alia ratione explicare conati sunt; quæque a sacerdotibus (ut credibile est,) a quibus, ut deinceps dicetur, hieroglyphicorum omnino pendebat interpretatio, commenta est, vocabulis sic fere, quemadmodum ostensum est, ultro citroque latis. Quæ si vera sint, *sacra* illa *dialectus* nihil aliud fuit quam hieroglyphicæ scripturæ, quæ viva voce fiebat, pronunciatio. Cui quidem sententiæ, quanquam paullo audaciori, favere tamen videtur fragmentum illud Manethonis in Syncell. Chronogr. p. 40. (Jablonsk. Panth. Ægypt. V. V. 19.) ἐκ τῶν ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ κειμένων στήλων, ΙΕΡΑΙ ΔΙΑΛΕΚΤΩΙ ΚΑΙ ΙΕΡΟΓΛΥΦΙΚΟΙΣ ΓΡΑΜΜΑΣΙ κεχαρακτηρισμένων, κ. τ. λ. Qui enim, si res aliter se habuisset, fieri posset, ut eædem prostarent notæ et hieroglyphice et ad sacræ dialecti normam expressæ? Huc etiam apprime facit, quod mox in eodem fragmento ejusdem dialecti mentio absolute facta est, ubi de iisdem notis agitur; ἑρμηνευθείσων......ΕΚ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΔΙΑΛΕΚΤΟΥ, ex ipsa illa scriptura sc. hieroglyphica. Sic sacra dialecto constat vocem illam, quæcunque fuerit, Ægyptiacam, quam Græce ex Horapolline (II. 108.) vertit Philippus πιννοφύλαξ, hominem μὴ προνοούμενον ἑαυτοῦ designasse, cum vulgo nihil aliud esset nisi *ostreorum custos.* Pari ratione ex fragm. ejusdem Maneth. apud Joseph. cont. Ap. I. 14. p. 445. (Jablonsk. Panth. Ægypt. Prolegom. p. cxxx.) discimus voculam

monumentis[1]; ut sic res gestas famamque regum suorum memoriæ proderent[2]. Sacros etiam ritus, præclara inventa, γνώμας atque adagia, quæcunque tandem ad publica spectarènt commoda, hac ratione conscripta esse, patet ex antiquitate[3]. Notum est etiam hieroglyphice insculptas, interdum etiam pictas, fuisse arcas sepulcrales, sarcophagos, *mumias* demum, quas vocant, Ægyptias[4]. Quin et astro-

---

lam Ὑκ in sacra dialecto idem fuisse quod *Rex;* cum Αἰγυπτιαστὶ (h. e. in vulgata,) poneretur pro *captivi.* Probabile est, vel certe non multum a probabilitate abhorret, *captivos* hieroglyphice scriptos *regem* significasse; quod eos scilicet in bello ceperat. Quæ igitur, quod ad scripturam, hieroglyphica signa ἱερὰ γράμματα appellabantur, quod ad pronunciationem attinebat, dici poterant ἱερὰ διάλεκτος.

1. Antiquitus, ut videtur, in lapidibus tantum usi sunt Ægyptii hieroglyphicorum exaratione. Incidi tamen postea hanc scriptionem in ligno, in gemmis, in creta coctili, in metallis denique (prout ratio Mensæ Isiacæ est ex ære, ait Kircherus, conflatæ,) compertum habemus ex variis singulorum generum, quæ supersunt, monumentis.

2. Quod inprimis fiebat in obeliscis; ut recte vidit Warburtonus. Unde profluxisse videtur proverbium, Ἄξιος ὀβελίσκου; ut et illud ἀπὸ ὀβελίσκου. Vide Suid. in v. ἄξιος.

3. Herod. II. 141. Diodor. I. 45. 49. Plutarch. de Iside, p. 395. 436. Clem. Alex. Strom. V. 7. Ammian. Marcell. XXII. 15. Galen. adv. Julian. I. p. 370.

4. Quando cœperit hic mos, valde videtur in obscuro esse. Apud Herodotum nulla fit mentio de mumiis, mumiarumque integumentis hieroglyphice signatis; quod credibile facit sub

nomica et geographica pari modo harum notarum ope exarata esse discimus ex veterum auctoritate[5]. Ex quibus omnibus, ut ipsa dicta Diodori[6], Ammiani[7], Taciti[8], Lucani[9], totidem verbis id asseverantium, prætermittam, nihil potest esse manifestius, quam hoc scribendi genere usos fuisse Ægyptios ad omnia fere, quæ mente concipi

---

sub Herodoti temporibus nondum omnino invaluisse hanc consuetudinem. Quam quidem, puto, si res aliter se habuisset, tam fuse tamque elaborate de cadaverum condiendorum agens curatione, vix et ne vix quidem potuit prætermisisse. Vide II. 86. Quin et de hoc hieroglyphicorum usu ne verbum quidem Diodorus. Huc accedat quod plerique, qui circa mumias versantur, characteres novitii plane videntur esse neotericique; immo et non raro a melioris notæ monumentorum ratione penitus abhorrere. Quæ cum ita sint, nil fere, opinor, dubium est, quin ea plerumque antiquiora sint, quæ plana prorsus notarumque hieroglyphicarum expertia reperta fuerint hujuscemodi monumenta. Quod dixi de mumiis, idem dicendum videtur de arcis sepulcralibus, necnon etiam de sarcophagis.

5. Martian. Capell. p. 274. Achill. Tat. Isag. I. p. 121. Cf. etiam Apoll. Rhod. Argon. IV. 272. seqq. collat. cum Herod. II. 104. Quivis videbit quam temere actum sit cum Bruceio, cuncta, quæ insculpta reperiuntur in obeliscis templisque Ægyptiorum, ad astronomiam spectare opinante. *Travels to discover, &c.* tom. I. p. 413.

6. III. 4.

7. XVII. 4.

8. Ann. XI. 14.

9. III. 221.

possent, significanda. Sic ex Horapolline etiam intelligere est sacras res profanasque, theologicas, historicas, philosophicas, morales, æque facile omnes hieroglyphicorum ope declarari posse. Unde plane amandandi sunt ii, qui nihil præter arcana quædam sacerdotibus tantum cognita in hac scriptura inclusum esse dictitarunt. Nec vero cum Warburtono facile concesserim publicam illam fuisse et omnibus notam, nisi forte fortuna aliquantisper, cum primum scilicet ex simplici pictura excederet; quippe cujus omnino fuerit natura, ut paucis tantum, ob rei ipsius difficultatem, innotesceret. Quod tum ex iis liquet, quæ jam disseruimus, tum præcipue ex loco Diodori, tantundem asseverantis, sacerdotes scilicet solos hieroglyphicas notas calluisse. Quod nec de omnibus sacerdotibus intelligendum videtur, sed de hierogrammatibus tantum, quorum in libris hieroglyphica reperta sunt lexica, ut supra notatum vidimus a Clemente Alexandrino [1].

Qui vero (quod facit Warburtonus,) publicam omnino fuisse scripturam hieroglyphicam arbitrantur, ii novum sibi fingunt scribendi genus,

---

1. Supra, p. 40. Crediderim saltem penes hierogrammatas tantum fuisse hujus scripturæ interpretationem, postquam, jam inventis literis alphabeticis, usurpata est. Cf. insignis locus apud Herod. II. 28.

symbolicum nuncupatum, sive *hierographicum*; idque a sacerdotibus solis usurpatum. Quod quidem, licet per figuras conscriptum, ab hieroglyphico nihilominus genere distinguunt; eo scilicet, aiunt, quod hierographice scribebant omnia, quæ ad reconditioris sapientiæ interpretationem spectabant. Verum enimvero de hac scriptura omnes ad unum, utpote omnino nulla, auctores tacent; nec quicquam istiusmodi ex monumentis, quæ supersunt, Ægyptiorum colligi potest. Qui hanc tuentur opinionem, ut et qui Kircheri ad partes astant, Hieroglyphica videntur cum *philosophia* ista, quam dicunt, *symbolorum* omnino confundere. Cujus tamen, ut videtur, longe alia fuit ratio [2].

---

2. De symbolorum philosophia non hujus loci erit disceptare. De ea consule Jablonsk. Prolegom. ad Panth. Ægypt. III. 51. seqq. Quæ quidem fuerit, discimus ex Plutarch. de Is. p. 396. Clem. Alex. Strom. V. 7. p. 670. Porphyr. apud Euseb. III. 7. 11. 12. 13. et De abstin. IV. p. 371. seqq. ut et ex Iamblich. de Myst. VI. 1. 2. 3. Plotin. Ennead. V. 8. 6. Ælian. Anim. Hist. XI. 10. et Phil. Jud. de Vit. Mos. p. 412. "Pro methodica (dicta sunt Zoegæ,) et clara doctrinarum expositione uti maluerunt tum brevibus quibusdam sententiis sive adagiis aut ænigmatis, conciso verborum numero res magnas multasque indigitantes; tum imaginibus quibusdam mysticis sive tesseris ita adornatis, ut qui sacra illa doctrina esset imbutus ex earum inspectione mentem socii qui eas

exhibebat

Quod ad hieroglyphicarum notarum spectat interpretationem, fatendum est cum Bandinio, Mercato, Bruckero, Jablonskio, Zoega denique, certam harum perfectamque omnino desperandam esse cognitionem. Etenim, præterquam quod perparce nobis descendit, et (si Horapollinem excipias,) huc illuc tantum sparsa figurarum hieroglyphice exaratarum aliqua expositio, accedit etiam illud, quod ipsas figuras, ob inscitiam nostram rerum Ægyptiarum, passim fere ignoramus. Quas nisi percipiamus, unde et qui fieri potuerit, ut, quod ad significationem attinet, nisi in tenebris pugnemus[1]?

---

exhibebat assequeretur; tum et gestibus nonnullis cærimoniisque, quibus, dum aliud agere videbantur, arcana animi sensa declararent." Exinde emanarunt symbola illa Pythagorica, de quibus fuse egit Clemens. Imitati sunt quadam ex parte, ut videtur, hodierni quidam.

1. Augetur vel inprimis ex illo difficultas, quod tam parvus notarum, quotquot repertæ sunt, hieroglyphicarum numerus est; significationum eam ob causam ratio propemodum infinita. Bruceius affirmat in omnibus Ægyptiorum monumentis a se diligenter exploratis quingentas tantum et quatuordecim inveniri posse; ideoque censet (quod supra notatum est,) nihil in hieroglyphica scriptura præter astronomicas quasdam observationes prorsus contineri; quippe quæ, ob paucitatem scilicet characterum, ad exprimenda generatim animi sensa minime sufficeret. Notæ, quas uniuscujusque generis a se inspectas commemoravit Zoega, numero, ait, sunt noningentæ,

Ante partam nuper a Gallis, in bello scilicet Ægyptiaco, Rosettanam tabulam, et spes et ratio

---

noningentæ, quinquaginta, et octo. Verum fac noningentas, vel, quod rotundius, etiam mille omnino exstare in monumentis, quæ supersunt, notas, tamen vel exinde consectarium est ex notarum plerisque innumeras pæne, tropice ænigmaticeque conceptas, significationes necessario pependisse: ita ut nunc has, nunc illas (prout voluntas scribentis erat,) indicarent notiones. Quæ res si aliter se habuisset, vix satis fuisset, credo, vel ad tractandam astronomiam hæc scriptura; nedum ad ἰδέας, quæ in animo nascerentur, universe exponendas. Exempla hujuscemodi supra attuli ex Horapolline, de variis agens hieroglyphicorum generibus. Quin et, ut ex singulis notis variæ extundebantur significationes, sic idem interdum fiebat characteribus inter se conjunctis. Quod cum ex monumentis hieroglyphice scriptis patet, tum præcipue ex aureo illo Horapollinis fragmento. Sic Vulcanum indicantes, scarabæum et vulturem pingebant; Minervam autem, vulturem et scarabæum, ordine, ut videtur, inverso. Horap. I. 12. Cf. I. 8. 22. 43. II. 38. 45. 50. Leguntur etiam sæpius in media hieroglyphicorum serie figurarum quidam complexus, sive syntagmata; quorum ratio sic demum constituta est, ut nunc, quod ad sensa attinet exprimenda, actione quadam sibi invicem mutuas quodammodo operas tradant, et quasi unum signum syllabamve efficiant; nunc autem, quod usitatius, simplicius tantum occurrant positi, nulla omnino actionis habita ratione. Huc utique accedat, quod, sicuti unius ejusdemque figuræ ope complura denotabantur sensa, uni etiam sæpenumero notioni plurimæ accommodatæ sunt figuræ. Sic stella significabat deum, fatum, numerum quinarium, crepusculum, noctem, tempus, animam denique. Horap. I. 13. II. 1. E contrario pro deo, ut et pro anima, modo stellam, modo accipitrem pingebant; pro fato interdum stellam, interdum etiam literas septem duobus inclusas digitis. Horap.

horum studiorum in Hermapionis interpretatione posita est Flaminii (si modo is sit,) obelisci[1].

I. 6. 7. II. 29. Ex quibus omnibus, puto, facile apparebit natura difficultatis.

In lectoris gratiam exscribam regulas quasdam, in suo genere optimas, ad hieroglyphicorum spectantes interpretationem, aque Zoega harum rerum, si quis alius, perito excogitatas; alias forsan, si modo per occasionem licebit, huic studio operam daturus.

"Advertendum est......quot et quales obveniant notarum compositiones, sive syllabas sive syntagmata appellare mavis, scilicet complexus notarum junctim recurrere solitarum. Porro quibus aliis notis sive solitariis, sive inter se connexis quævis nota et quævis notarum syllaba comitibus usa reperiatur. Denique quæ sit cujusvis inscriptionis hieroglyphicæ dispositio sive œconomia: et quatenus hoc respectu quæ hodie exstant monumenta inter se conveniant aut dissentiant. Quibus omnibus accurata diligentia adnotatis atque expositis via quædam sternitur ad hieroglyphicorum interpretationem, quam licet ut res nunc se habent ne tentandam quidem existimem, tamen ingenti illa inscriptionum copia quæ in Ægypto adhuc latet in lucem producta, et cunctis quæ supersunt antiquæ gentis documentis inter se comparatis, præterea regionis cœlique natura accurate investigata, et quæ de priscis Ægyptiis tum ex veterum scriptorum narrationibus tum ex affinium gentium comparatione probabiliter sciri possunt, clarius uberiusque expositis quam factum invenio hactenus, aliquando effici posse minime nego." p. 463.

1. Hanc interpretationem, quod non mireris, tricator ille semidoctus Goropius Becanus, ut et Becani laudator imitatorque Kircherus, flocci omnino faciendam dictitavit. Idque profecto, quod ab ineptiis istis theurgicis, falsisque ac cerebrosis de dæmonibus quibusdam geniisque fabulis, abhorret scilicet.

Quam quidem συνοπτικῶς tantum factam fuisse, satis

---

scilicet. Quæ omnia, ut videtur, ex infimi ævi scriptorum lucubratiunculis, tanquam ex fracido quodam sterquilinio, orta sunt atque generata. Idem facit etiam Pauwius, vir petulans; universæque refragatur antiquitati, dum res historicas non nisi in cippis tabulisque scriptas contendit, in obeliscis autem tantum philosophicas. *Recherches sur les Egypt. et Chin.* tom. I. p. 32. tom. II. p. 73. Pro genuina accipit Bandinius; non tamen ideo reputans in obeliscis quicquid insculptum fuit ad regum gesta necessario pertinuisse; id quod ex Diodoro præcipue (I. 57.), Strabone (XVII. p. 1171.), Tacito (Ann. II. 60.), nimis festinanter fortasse asseveravit Warburtonus, neglectis omnino Plinio (Nat. Hist. XXXVI. 9.) Cyrilloque (adv. Julian. IX. p. 299. ed. Spanh.); quorum uterque de rebus philosophicis in iis inscriptis mentionem fecit. Ceterum, dum Warburtono de hac re omnino fere astipulandum censeo, illud tamen minime prætermittendum est, obeliscorum videlicet antiquiorum proprium fuisse videri, ut, sive ad historiam seu quodvis aliud spectarent, deo cuidam dicarentur. Vide Herod. II. 3. 170. Diod. I. 57. 59. Strab. XIII. p. 1158. Plin. Nat. Hist. XXXVI. 8. ubi de somnio Mesphris in obelisco insculpto commemoratum est. Cf. etiam Porphyr. apud Euseb. Præp. Evang. III. 7. p. 98. Ammian. Marcell. XVII. 4. Polyd. Virg. III. 11. Quod vel exinde patet, in optimæ notæ scilicet obeliscis hieroglyphica signa ab accipitre, qui *deum*, ut supra dictum est, significabat, fere omnino inchoare solere. Egregie autem a Zoega observatum est, hymnorum quorundam ritu ordinari videri obeliscorum argumenta; quod cum aliis de causis notavit, tum præcipue quod in notarum dispositione rhythmicum quoddam sibi visus est deprehendisse, in singulis scilicet eorundem obeliscorum frontibus. Cui quidem opinioni vel inprimis favet et color et ordinatio totius, quæ ab Hermapione profecta est, interpretationis; quæ, mea saltem sententia,

ex re ipsa manifestum est; quod supra dixi-

---

sententia, poesin admodum sapit, quam dicunt, Orientalem. Vide Appendicem. Porro cum Zoega vehementer etiam illud facit, quod omnium fere gentium antiquitus proprium fuit annales suos non solutæ orationi, sed numeris mandare. Quocirca non multum repugnarem, siquis insculpta in vetustioris ævi obeliscis historica *Hymnorum* nomine *historicorum* appellaret. Idem fere similiter de somnio Mesphris supradicto, deque philosophicis, si quæ inscriptæ fuerint, rebus, facile fieri potuisset.

Quod ait Kircherus (Œd. Ægypt. Tom. III. p. 250.), sex tantum versus, sive columnas, explicatas curavisse Hermapionem, cum duodecim omnino sint in obelisco, nulla eam ob causam exstare videtur difficultas; cum vel ex ipso Ammiano pateat, voces *et reliqua* subjiciente, partem tantum hujusce interpretationis illic loci exscriptam esse. Adde quod, ut supra notatum est, epitomen tantum obelisci Flaminii scripsisse videtur Hermapion; scilicet ut tautologiam istam, ubique fere in obelisco apparentem, quantum in se esset, evitaret. Sic, in sinistra meridionalis lateris columna, incipienti ab accipitre occurrit series notarum circiter viginti quinque; quæ omnes, duobus tribusve tantum exceptis, in sinistra quoque occidentalis lateris parte eundem ordinem conservant. Ovatarum figurarum unamquamque, plures notas in se continentium, unam brevitatis causa notam appello. Porro, si columnam septentrionalis lateris, quæ a dextris est, cum columna, idque eadem ex parte, conferas occidentali, similem fere ob oculos habebis repetitionem. Prætermitto minores, in obelisco passim scatentes. Ex quibus omnibus probabile est ne integram quidem, etiamsi ab Hermapione, demptis tantum hujusmodi iterationibus, verbum verbo exscripta prodiisset, nedum compendiario prorsus factam interpretationem, tot στίχους, sive versus, posse comprehendisse, quot columnæ exstant in obelisco.

Quod ad schemata illa elliptica attinet, quæ in obeliscis fere

mus. Verum enimvero, quod ad expediendas at-

---

fere omnibus interdum simplicia, interdum etiam occurrunt bina, posterioris hujus generis notandum est septendecim in obelisco Flaminio omnino reperiri; in latere scilicet australi quatuor, quod et in boreali contigit, necnon etiam in occidentali; quinque autem in orientali. Quorum omnium, si unum alterumve errorem excipias ab hieroglypta profectum, (exemplum sit circuli omissio in meridionali latere obelisci,) eadem omnino, ut videtur, ratio est. Pro nominibus propriis, hieroglyphice expressis, sumenda esse hæc schemata mecum putaveram, ante lectam nuper Anonymi de tabula Rosettana epistolam. Vide Mus. Crit. &c. Tom. II. p. 202. Cf. etiam Zoeg. p. 465. Ceterum hanc meam conjecturam duo vel præsertim firmare videntur. Unum quidem, quod nusquam ovatæ in obeliscis figuræ conjugatæ reperiuntur, nisi avis cujusdam ope *δολιχοδείρου*; quem, etiamsi illic loci nulla de circulo supra avis caput plerumque suspenso facta sit mentio, Horapollinis tamen vulpanserem esse quovis pignore contendam, eundemque *filium* significare. Locum exscribam. *Ὑιὸν δὲ βουλόμενοι γράψαι χηναλώπεκα ζωγραφοῦσι. τοῦτο γὰρ τὸ ζῶον φιλοτεκνώτατον ὑπάρχει. κἂν γὰρ διώκηταί ποτε εἰς τὸ συλληφθῆναι σὺν τοῖς τέκνοις, ὅτε [ὅ τε] πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ αὐθαιρέτως διδόασιν ἑαυτοὺς τοῖς κυνηγοῖς, ὅπως τὰ τέκνα διασωθῇ· δι' ἥνπερ αἰτίαν τοῖς Αἰγυπτίοις ἔδοξε σεβάζειν τὸ ζῶον.* I. 53. Alterum est, quod super harum superiore ovatarum figurarum apis fere semper designatur cum palmite, vel flosculo, vel, si malis, sceptro, binis suffulta hemicyclis. Quam cum Ammiano Marcellino (XVII. 4.) pro *Rege* accipiendam esse mecum habeo persuasissimum. Verba ejus sunt; "Per speciem apis mella conficientis indicant Regem; moderatori cum jucunditate aculeos quoque innasci debere his signis ostendentes." Ceterum et hoc vidit auctor Anonymus supradictus; a quo, ut videtur, horum studiorum amantes permulta, nec injuria, sperabunt. Vide Mus. Crit. Tom. II. p. 203.

tinet hujusce ope interpretationis notas hierogly-

---

p. 203. Nec vero impedimento illud erit, quod de ape aliter constituit Horapoll. I. 62. Quæ enim pro *Populo Regi morem gerente* apis interdum ponebatur, eadem alias, vel facilius, de ipso *Rege* intelligi potuit. Fatendum est hanc apis figuram, quam Kircherus papilionem dracontomorphum cum thyrso papyraceo junceove, sive muscam Ægyptiacam, nuncupat (Œd. Ægypt. tom. III. p. 183. 195. 196. 206.), alii autem formicam alatam, ab apibus nostratibus aliquantum discrepare. Verum, quoniam in obeliscis præter scarabæum unum tantum reperitur animal ex insectorum aligerorum classe, hoc illud putarim esse, cui apis vocabulum interpretes indidere. Ceterum rem extra dubium ponit obeliscus Sallustianus; in quo apes, quæ occurrunt, formam induere usitatiorem curavit Romanus lapicida. De apibus consulas Aristot. Hist. An. V. 22. IX. 40. Ælian. de An. I. 59. 60. V. 10. 11. Plin. Nat. Hist. XI. 5. 17. &c. Senec. de Clement. I. 19. Virgil. Georg. IV.

Quibus quidem positis, cumque Hermapionis interpretatione collatis, geminas illas sic constitutas jugatasque figuras, in hoc obelisco, regis Rhamestis laudes concinente, toties repetitas, sic fere Græce exponendas judico; ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΡΑΜΕΣΤΗΣ, ΗΛΙΟΥ ΠΑΙΣ. Eadem quoque schemata invenies inter notas minusculas circa stylobatam capitellumque exaratas. In cujusque lateris capitello ad finem orationis prostant ab ore dei (Apollinis videlicet, quod supra observatum est, sive Ori, teste Herod. II. 144.) prodeuntis. Ultima omnium nota globus ille est duobus basiliscis, sive uræis, ornatus, additis interdum binis alis vulturinis. Quam, dum Horapollinem intueor (I. 1.), idem valere puto ac Græcum *αἰωνόβιος*. Exinde uniuscujusque orationis, sic dictæ, crediderim has voces finem constituere; ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΡΑΜΕΣΤΗΣ, ΗΛΙΟΥ ΠΑΙΣ ΑΙΩΝΟΒΙΟΣ.

Hactenus, in præsens saltem, de Flaminio obelisco, ejusque interpretatione Græca ab Hermapione, ait Marcellinus, conscripta;

phicas, aqua vel in principio hærere videtur. Namque, ut nihil de illo dicam, quod, quæ sit ea quam meridionalem obelisci faciem interpres dicit, reperiri nequit, id etiam impedimento est, quod in unaquaque facie complures sunt notarum ordines, inter quos qui sint illi quorum superest interpretatio, etiamsi nota essent latera, intellectu difficillimum esset[1]. In Rosettana autem tabula nulla prorsus hujusmodi exstat difficultas. Namque, ut prætermittam illam hieroglyphicorum

---

scripta; quam quidem, pace dicatur Becani Kircherique, pro sincera genuinaque habendam puto. Pæne oblitus eram dicere schemata supradicta elliptica in minoribus obeliscis occurrere, Monticœlio scilicet, Mediceo, Mahutæo; quorum icones reperies apud Kircherum.

Præter Hermapionem, vixere sub Imperatoribus alii, ut videtur, qui hieroglyphica Græce interpretari solebant. Quorum tamen operum, si Horapollinis interpretem Philippum excipiamus, ne vestigium quidem superest. Ex hoc numero fuere Chæremon, Apionque Plistonici filius. Hujus meminit Suidas in voce Ἀπίων; illius, nimis iracunde forsan, Strabo, XVII. p. 1159. si modo idem sit Stoicus ille, de quo Euseb. Epist. ad Aneb. p. 6. 7. 8. Id. De abstinent. IV. p. 360. 371. Chæremonis etiam facta est mentio apud Suid. in ἱερογλυφικά. Quem Hermatelem appellat Tertullianus, De Spectac. 8. sive, quod habent quædam Tertulliani exemplaria, Termatelem, crediderim illum eundem esse cum Hermapione.

1. Quæ de obelisco ab Hermapione interpretato disseruit Gibertus, habes in *Mem. de l'acad. des inscript.* tom. XXXV. p. 669.

literis ἐγχωρίοις exaratam versionem [1], sic prorsus constituta est Græca interpretatio, ut, si non a principiis utriusque inscriptionis (nam deest principium hieroglyphicis,) progredi possis, a finibus tamen adversus clivum, uti aiunt, saltem satis tuto progrediaris. Quo quidem facto, et utraque scriptura secum tota via invicem collata, observatisque quæ omnino, quæ partim, quæ paullulum tantum immutata, repetantur, facile mecum persuasum habeo eos, qui hisce diligentius incumbunt studiis, multa hic reperturos non ad Rosettanam tantum tabulam spectantia, sed ad permulta alia Ægyptiorum vel vetustiora monumenta [2]. Idque profecto eo magis asseverandum

1. De hac inscriptione, sive interpretatie ipsa sit hieroglyphicorum, seu ipsius potius hieroglyphica, nihil ausim dicere; quippe qui Copticas, quas dicunt, literas prorsus ignorem. De ea consulas velim omnino Mus. Crit. Tom. II. p. 155. seqq. Quod ait Silvester de Sacy (Ibid. p. 200.), Copticas videlicet literas Ægyptiis, ut quæ maxime, affines esse, (quas quidem pro iisdem, hoc est epistolographicis, sumendas satis festinanter asseveraverat Kircherus,) huic certe opinioni ansam vel illud præbere videtur, quod vocabulum ϩΗΤ, HΘ scilicet Horapollineum, in libris Copticis passim legitur. Vide Zoeg. p. 454. not. 53.

2. Hanc tabulam, clavem, si diis placebit, futuram hieroglyphicorum, tum aliis, qui ad hoc valebunt, interpretandam relinquo,

censeo, quod satis notum est obeliscos omnes, ceteraque a Ptolemæis exstructa monumenta, no-

---

relinquo, tum præsertim Anonymo auctori supradicto, homini, ut videtur, perdocto, peringenioso, judicioque, quod in hoc studio plurimi est momenti, miris modis subacto; harum rerum, quod ad meipsum attinet, abhinc hebdomadas non ita multas rudis, si quis alius, atque imperitus. Vide hujus auctoris Epist. ad Silv. De Sacy (Mus. Crit. Tom. II. p. 201.) Erit tamen forsan me non ingratum lectoribus, si qui erunt, nostris facturum, si verbum unum vel duo obiter subjiciam, ad insigniores quasdam, quæ in hac tabula occurrunt, notarum hieroglyphicarum iterationes pertinentia: quibus quidem recte cognitis, facile vel ex hoc uno apparebit an veræ genuinæque fuerint interpretationes a viris doctis posthac tentandæ. Id tantum præfari lubet, exemplar scilicet, quod penes me est, illud esse, quod suo sumptu incidendum curavit Soc. Antiquar. Londin. A. D. MDCCCIII.

Primum igitur observandum est in linea sexta tres figuras reperiri majusculas, quas, hieroglyphicas notas in se comprehendentes, ovatas, sive ellipticas, supra nuncupavimus. Quarum quæ a dextris stat ceteris duobus duplo fere, ut videtur, major est. Hanc cum inclusis suis notis, (nisi quod una duæve, sive id data opera, seu errore potius hieroglyptæ factum fuit, interdum immutantur, interdum etiam omittuntur,) eodem fere ordine conservato, iterum habebimus, modo in ll. 12. 14. ut et, nisi me fallit lapidis fragmentum, 7. oculos conjecerimus. Neque hæc vel per se levis momenti iteratio est. Ceterum eodem, unde progressi sumus, redeuntibus majus quoddam aperietur. Etenim in sexta linea figuram supradictam ellipticam intuentibus notæ prostant sinistrorsum novem, quarum remotissimæ sunt ligones tres cum duplici manubrio, catino quodam, sive scutella, superintecti. Porro dextrorsum tredecim notæ numerentur; quarum ultima sit

vorum hieroglyphicorum additamento vix et ne vix quidem adauctos esse. Ceterum, quod versio

---

vomer quidam obliquatus, jugo (si modo jugum sit,) suspenso. Has notas tredecim, quia præeunt, *antecedentium* nomine appellabimus, ut et novem illas, quod a tergo sunt, *consequentium*. Quibus quidem sic satis commode cognominatis, observandum est figuram illam ellipticam, de qua modo mentionem fecimus ter repetita, nempe in ll. 7. 12. et 14., in duobus locis posterioribus cum omnibus suis consequentibus, necnon et cum antecedentibus, iteratam reperiri. Quæ, inquam, omnino (additis scilicet quæ in annulo ovato includuntur notis,) quadraginta circiter notarum hieroglyphicarum repetitio est. De linea duodecima paullo forsan audentius locutus sum, ob fractum lapidem scilicet. An recte judicaverim, necne, ostendet, si unquam repertum fuerit, lapidis fragmentum.

Quod dixi de inclusis notis, nimirum unam vel duas, dum repetuntur, casu deve industria paullulum immutari, interdum etiam omitti, idem quoque dicendum est de ovatæ figuræ antecedentibus. Sic quæ in l. 14. hominis icuncula est lituum gestantis, sive incurvum et leviter a summo inflexum bacillum, in l. 6. cornuta est, dempto bacilli capite. Quin et quæ in antecedentibus occurrunt minutæ notulæ, quarum princeps est runco quidam, sive falcula, transversis duobus vectibus ornata, aliquantulum variantur. Ceterum, ut verum fatear, dum loca ubi occurrunt (ll. 6. 7. 14.) ob oculos habeo, nequeo non suspicari hunc acervum notularum nihil aliud esse nisi apis illius fragmina, *Regem*, ut ex Marcellino jam comprobatum est, significantis, cursim, ut ita dicam, ac tumultuario in unum conjecta. Quod si verum sit, runco ille palmes est, de quo supra diximus, surculis, qui sic facilius inciderentur, rectis. Totum igitur apis corpus ex quinque particulis, sive frustis, conflari videtur; quorum duo, alæ scilicet truncusque, conjunctim occurrunt, eam ob causam pro una tantum nota

illa epistolographica, sive, quod mavult Akerbladius, hieratica, in lapide occurrit exarata, (cum

---

nota supra numerata; cetera, hoc est caput cornibus, sive antennis, instructum, pedes, sive pedum potius basis, aculeus demum, separatim. Infra subjiciuntur bini, de quibus supra mentionem fecimus, hemicycli. Quæ perfectissimæ sunt harum notularum figuræ, in linea sexta reperientur.

Notandum est majusculæ, quæ in l. 6. est, figuræ antecedentes, quas dixi, nusquam alibi, si loca excipiamus jam memorata, in hac tabula gregatim iterari: e contrario consequentes ferme ad notam legi etiam in ll. 8. 12. et bis in l. 13.

Quas in consequentibus notas ligonum nomine appellandas duxi, id me velim intelligant lectores tantum fecisse, quod ligonibus aliqua ex parte similes esse videntur; non quod pro ligonibus necessario sumendæ sunt. Nota, ni fallor, illa est, quam, in obelisco Campensi repertam, pro phiala cum collo oblongo binisque auriculis haberi vult Zoega; Burneius autem, (*General History of Musick,*) satis ingeniose, pro instrumento musico manubrii subjecti ope chordarum sonos modificante; exinde scilicet affirmans in lyricis instrumentis concinnandis plus veteres Ægyptios profecisse quam Græcos Romanosve. Quod ad Ægyptios attinet, citharis usos esse manubriatis neque affirmat, neque negat Zoega. Idem tamen de binis anaglyphis marmoreis, quæ Burneii diligentiam effugerant, mentionem facit; ex quibus, inquit, patet cum Græcis tum etiam Romanis notum fuisse hoc instrumentorum musicorum genus. Vide p. 465. not. 6. Quod phialæ hujus venter, qui in obelisco Campensi ellipticus est, in hac tabula, obeliscis multo negligentius insculpta, triangularis reperitur, crediderim id ea gratia factum esse, ut sic promptior expeditiorque esset scalptura; quemadmodum de palmite ostendimus supradicto. Quanto facilius sit rectas, quam

quæ

lapideorum antiquitus apud Ægyptios monumentorum, ut supra dictum est, fuerit ratio, ut inscribe-

---

quæ incurvatæ sunt lineæ, in dura quavis materia incidere, omnes novimus.

Quid sit nota illa, quam vomeris nomine appellavi, prorsus nescio. Si quis vero convenientius vocabulum extundet, id profecto me admodum volente faciet. Quod donec fiet, vomer esto.

Præter figuram hancce ellipticam, ter, nisi fallor, repetitam, in eadem linea (sexta scilicet,) occurrunt, quod supra notatum est, duæ aliæ ejusdemmodi, sed minores. Quarum utraque easdem ad unam notas, quæ numero sunt octo, intra annulum suum comprehendit.

Quinetiam, in hac tabula, notatu dignum est sinistram uniuscujusque figuræ ellipticæ partem tangere semper lineam rectam; nisi quod parvulo interdum intervallo ab annulo separatur, ob hieroglyptæ negligentiam scilicet. Quod non in figuris tantum accidit, de quibus jam commemoratum est, sed et in minusculis ejusdem generis quibusdam, quæ in ll. 6. 7. 8. 14. occurrunt. Has pro nominibus propriis, adjacentium notarum ope, poni crediderim, ut illas inclusarum. In obeliscis semper ad imum figuræ ponitur hæc linea.

Appendiculæ in loco subjicietur minorum quarundam iterationum enumeratio. In l. 1. reperitur hircus quidam, linea, ut sic dicam, corrugata una cum binis bacillis supposita. Quæ omnes notæ in l. 13. occurrunt, inter duas aves scilicet; ubi bis in totidem aliis partibus supponuntur hujus hirci effigiei lineæ binæ corrugatæ. Cf. etiam ll. 2. 9. 10. In l. 2. tres oculos erit cernere pupillarum expertes, anteeuntibus duobus hemicyclis cum duplici quadam figura longiuscula, tribus auriculis instructa. Idem notarum syntagma habemus in l. 10. nisi quod alium ibi locum occupant hemicycli. Mox in l. 3. avis

rentur omnino hieroglyphice,) observandum est id primum videri factum fuisse sub Ptolemæorum

---

avis quædam est, subjecto pupillæ experte oculo. Eadem quoque inferius conspicitur, in ll. 4. 5. 8. scilicet, ut et bis in 9.: quarum in 4. et 8. cum tribus tessellis reperitur supra caudam pendentibus; in 5. autem, necnon et semel in 9. cum una tantum tessella, sive calculo, præeunte poplitem flectente homulo, qui ollam in capite gestat. Qui in l. 4. anguli recti, supra tesseram suspensi, inter crucem, de qua supra diximus, ansatam caduceumque exarantur, in eadem linea cum cruce suo ac caduceo repetuntur. Quin et binæ arbores, quæ in l. 5. quatuor ramulis ornantur, iteratæ sunt in l. 10., dempto tamen ab unaquaque ramulo. Genuflectentem homunculum, qui in l. 6. pone figuræ ovatæ, omnium in hac tabula maximæ, consequentes stat, dextra supra avem quandam tenens patellam, idem facientem reperimus in l. 12. Cf. etiam similem figuram in l. 8. Porro quæ a tergo hujus homunculi in l. 6. vipera est cum parvula ellipse, eandem cum ellipse sua iterum habemus in l. 7., adjecto cum calculo capitulo quodam. Ex quibus omnibus modo auferatur vipera, idem habebimus syntagma in l. 8., notis tamen illic patella superintectis. Quem notarum complexum infra inveniemus in ll. 12. 14., addito insuper homunculo illo, de quo supra dictum est, ollam, sicuti antea, in capite sustinente. In l. 8. dei, nisi fallor, cujusdam icuncula est in sella sedentis, loris binis instructa a femore prodeuntibus. A sellæ tergo instrumentum quoddam aduncum prostat. Hæc icuncula cum suis omnibus *attributis* ter in eadem linea legitur. Quod ad lora illa attinet, videas Ori figuram in pyramidio Campensis obelisci insculptam. Mox, quæ in l. 10. tres, geminis minoribus interpositis, occurrunt arbores, vel, si mavis, sudes, bis conspiciuntur in l. 12., re tamen nulla illic locorum superinjecta. Denique, qui in l. 12. cruci cuidam,

temporibus; cum Ægyptiorum mores Græcorum jam tandem ingenio, (qui eadem in saxis, qua in libris, utebantur scriptura,) magis magisque cœperint accommodari. Porro quæ cum epistolographicis pariter Græcisque literis hic conjunguntur hieroglyphica, cum Græcis tantum jugata interdum reperiuntur. Sic in Museo Britannico, quod Londini est, exstat fragmentum sacelli huc olim inter alia monumenta ex Ægypto advectum[1], literis cum hieroglyphicis tum Græcis insculptum; e quo licet mutilo illud saltem liquet, a Ptolemæi cujusdam amico scilicet aut consanguineo instauratum fuisse sacellum, a quo desumptum est[2]. Quin et "in superiore (ait Zoega,) Ægypto in oppido Cous, ubi Apollonopolis parva olim fuisse putatur, hodie adhuc superest templum ad Ægyptiæ architecturæ modum exstructum, atque hieroglyphicis inscriptum; quod a Cleopatra et Ptolemæo Arveridi deo dicatum prædicat Græ-

dam, cui incurvum caput est, ansatæ manus porrigit homuncio, eundem ter in eadem linea repetitum habemus, ut et semel in l. 13. Atque hæc sufficiant. Plura exempla facile suppeditabit lectorum diligentia, tabulam, si ipsis volupe erit, oculis suis perlustrantium.

1. A Wortleio Montague scilicet.

2. Græcarum literarum, quæ in epistylio adhuc leguntur, vestigia sunt; ΛΕΩΣ ΑΝΕΝΕΩΣΕ. Vide Zoeg. p. 497. 543.

cus, qui adjectus est, titulus[3]." Sed manum, uti aiunt, de tabula.

---

3. Sic se habet Epigramma, emendante Bouhierio;

ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΥΣ
ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ ΘΕΟΙ ΜΕΓΑΛΟΙ ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΕΣ
ΕΥΣΕΒΕΙΣ * * ΚΑΙ ΤΑ ΤΕΚΝΑ ΑΡΩΗΡΙΔΙ
ΘΕΩΙ ΜΕΓΙΣΤΩΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΣΥΝΝΑΟΙΣ ΘΕΟΙΣ.

Vide Paul. Lucas. (*Voyage en* 1714.) tom. III. p. 2. Montfaucon. Antiq. expl. Suppl. tom. II. Tab. 5. Num. 2. Pocock. (*Description of the East,*) vol. I. p. 277. Ejusd. inscript. Antiq. Græc. et Lat. Lib. I. 8. p. 88.

APPENDIX.

APPENDIX.

I.

HERMAPIONIS OBELISCI FLAMINII COMPENDIARIO FACTÆ INTERPRETATIONIS GRÆCÆ FRAGMENTUM, EX AMM. MARCELL. XVII. 4. EXCERPTUM.

ΑΡΧΗΝ ΑΠΟ ΤΟΥ ΝΟΤΙΟΥ ΔΙΗΡΜΗΝΕΥΜΕΝΑ[1] ΕΧΕΙ.

ΣΤΙΧΟΣ ΠΡΩΤΟΣ.

ΤΑΔΕ ΛΕΓΕΙ ΗΛΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΙ ΡΑΜΕΣΤΗΙ. ΔΕΔΩΡΗΜΕΘΑ ΣΟΙ ΠΑΣΑΝ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΝ, ΜΕΤΑ ΧΑΡΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΕΙΝ[2]. ΟΝ ΗΛΙΟΣ ΦΙΛΕΙ, ΚΑΙ ΑΠΟΛΛΩΝ, ΚΡΑΤΕΡΟΣ, ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ

---

1. Sic dedi pro διερμηνευμένα, quod omnium impressorum est, necnon Manuscriptorum apud Zoegam. Non tamen displiceret διερμηνευόμενα.

2. Gelenius edidit; Ἀρχὴν ἀπὸ τοῦ Νοτίου διερμηνευμένα ἔχει στίχος πρῶτος. Τάδε ἐστὶν ἃ βασιλεῖ Ῥαμέστῃ δεδωρήμεθα, ὃν πᾶσαν οἰκουμένην μετὰ χαρᾶς βασιλεύων Ἥλιος φιλεῖ. Et sic legerunt interpretes. Valesius emendavit; Ἀρχὴν...... πρῶτος τάδε. Ἥλιος βασιλεῖ Ῥαμέστῃ. δεδώρημαί σοι ἀνὰ πᾶσαν οἰκουμένην μετὰ χαρᾶς βασιλεύειν· ὃν Ἥλιος φιλεῖ......eumque secutus est Gronovius. Zoega. Quæ eduntur, ex binis a Zoega deprompta sunt MSS. sic omnino legentibus; ΑΡΧΗΝΛΤΙΟ ΤΟΥΝΟ ΤΙΟΥ ΔΙΕΡΜΝΗϹ ΥΜΕΝΑΕΧΕΙϹΤΕΧΟϹ ΤΙΡΩΤΟϹΤΑΔΕΛΕΤΕΤΝΛΙΟϹ ΒΑϹΙΑΤΡΑ. ΜΑΕϹΤΗ ΔΕΔΩΡΗΜΕ ΛϹΟΙΠΑϹΟΝΟΝΩ.

ΥΙΟΣ ΗΡΩΝΟΣ, ΘΕΟΓΕΝΝΗΤΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ, ΟΝ ΗΛΙΟΣ ΠΡΟΕΚΡΙΝΕΝ. ΑΛΚΙΜΟΣ ΑΡΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΡΑΜΕΣΤΗΣ. ΩΙ ΠΑΣΑ ΥΠΟΤΕΤΑΚΤΑΙ Η ΓΗ ΜΕΤΑ ΑΛΚΗΣ ΚΑΙ ΘΑΡΣΟΥΣ. ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΡΑΜΕΣΤΗΣ, ΗΛΙΟΥ ΠΑΙΣ[1] ΑΙΩΝΟΒΙΟΣ.

ΣΤΙΧΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ.

ΑΠΟΛΛΩΝ ΚΡΑΤΕΡΟΣ, Ο ΕΣΤΩΣ ΕΠ' ΑΛΗΘΕΙΑΣ, ΔΕΣΠΟΤΗΣ ΔΙΑΔΗΜΑΤΟΣ, ΤΗΝ ΑΙΓΥΠΤΟΝ ΔΟΞΑΣΑΣ ΚΕΚΤΗΜΕΝΟΣ. Ο[2] ΑΓΛΑΟΠΟΙΗΣΑΣ ΗΛΙΟΥ ΠΟΛΙΝ, ΚΑΙ ΚΤΙΣΑΣ ΤΗΝ ΛΟΙΠΗΝ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΝ, ΚΑΙ ΠΟΛΥΤΙΜΗΣΑΣ ΤΟΥΣ ΕΝ ΗΛΙΟΥ ΠΟΛΕΙ ΘΕΟΥΣ ΑΝΙΔΡΥΜΕΝΟΥΣ. ΟΝ ΗΛΙΟΣ ΦΙΛΕΙ.

ΤΡΙΤΟΣ ΣΤΙΧΟΣ.

ΑΠΟΛΛΩΝ ΚΡΑΤΕΡΟΣ, ΗΛΙΟΥ ΠΑΙΣ ΠΑΜΦΕΓΓΗΣ, ΟΝ ΗΛΙΟΣ ΠΡΟΕΚΡΙΝΕΝ, ΚΑΙ ΑΡΗΣ ΑΛΚΙΜΟΣ ΕΔΩΡΗΣΑΤΟ. ΟΥ ΤΑ ΑΓΑΘΑ ΕΝ ΠΑΝΤΙ ΔΙΑΜΕΝΕΙ ΚΑΙΡΩΙ. ΟΝ ΑΜΜΩΝ ΑΓΑΠΑΙ, ΠΛΗΡΩΣΑΣ ΤΟΝ ΝΕΩΝ ΤΟΥ[3]

1. Voces Ἡλίου παῖς nescio quo casu omisit Zoega.

2. Sic Gelenius, et in prima editione Valesius. Articulus ὁ omittitur in secunda recensione Valesiana, quam expressit Gronovius. ZOEGA.

3. Ita prodidit Gelenius. In secunda recensione Valesiana

ΦΟΙΝΙΚΟΣ ΑΓΑΘΩΝ . ΩΙ ΟΙ ΘΕΟΙ ΖΩΗΣ ΧΡΟΝΟΝ ΕΔΩΡΗΣΑΝΤΟ .

ΑΛΛΟΣ ΣΤΙΧΟΣ ΠΡΩΤΟΣ[4].

ΑΠΟΛΛΩΝ ΚΡΑΤΕΡΟΣ, ΥΙΟΣ ΗΡΩΝΟΣ, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ ΡΑΜΕΣΤΗΣ , ΟΣ ΕΦΥΛΑΞΕΝ ΑΙΓΥΠΤΟΝ , ΤΟΥΣ ΑΛΛΟΕΘΝΕΙΣ[5] ΝΙΚΗΣΑΣ . ΟΝ ΗΛΙΟΣ ΦΙΛΕΙ . ΩΙ ΠΟΛΥΝ ΧΡΟΝΟΝ ΖΩΗΣ ΕΔΩΡΗΣΑΝΤΟ ΘΕΟΙ . ΔΕΣΠΟΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ, ΡΑΜΕΣΤΗΣ ΑΙΩΝΟΒΙΟΣ.

ΑΛΛΟΣ ΣΤΙΧΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ .

ΗΛΙΟΣ ΘΕΟΣ , ΜΕΓΑΣ ΔΕΣΠΟΤΗΣ ΟΥΡΑΝΟΥ . ΔΕΔΩΡΗΜΑΙ ΣΟΙ ΒΙΟΝ ΑΠΡΟΣΚΟΡΟΝ . ΑΠΟΛΛΩΝ ΚΡΑΤΕΡΟΣ , ΚΥΡΙΟΣ ΔΙΑΔΗΜΑΤΟΣ, ΑΝΕΙΚΑΣΤΟΣ . ΩΙ[6] ΑΝΔΡΙΑΝΤΑΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΕΝ ΤΗΙΔΕ ΤΗΙ ΒΑΣΙΛΕΙΑΙ ΔΕΣΠΟΤΗΣ ΑΙΓΥΠΤΟΥ , ΚΑΙ ΕΚΟΣΜΗΣΕΝ ΗΛΙΟΥ ΠΟΛΙΝ, ΟΜΟΙΩΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝ ΗΛΙΟΝ, ΔΕΣΠΟ-

---

siana est τῶν Φοίνικος, quod sane arridet. Sed hactenus nihil mutandum. Zoega.

4. ΑΛΛΟΣ ΣΤΙΧΟΣ ΠΡΩΤΟΣ, quod exciderat, in sedem suam reponere non dubitavi. Zoega.

5. Sic rescripsit Valesius pro τοῦ ἄλλου ἔθνους, quod ediderat Gelenius. Zoega.

6. Ita Gelenius. Valesius ὧν. Zoega.

ΤΗΝ ΟΥΡΑΝΟΥ. ΣΥΝΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝ[1] ΕΡΓΟΝ ΑΓΑΘΟΝ ΗΛΙΟΥ ΠΑΙΣ, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΙΩΝΟΒΙΟΣ.

ΤΡΙΤΟΣ ΣΤΙΧΟΣ[2].

ΗΛΙΟΣ ΘΕΟΣ, ΔΕΣΠΟΤΗΣ ΟΥΡΑΝΟΥ, ΡΑΜΕΣΤΗΙ ΔΕΔΩΡΗΜΑΙ ΤΟ ΚΡΑΤΟΣ, ΚΑΙ ΤΗΝ ΚΑΤΑ ΠΑΝΤΩΝ ΕΞΟΥΣΙΑΝ. ΟΝ ΑΠΟΛΛΩΝ, ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ, ΔΕΣΠΟΤΗΣ ΧΡΟΝΩΝ, ΚΑΙ ΗΦΑΙΣΤΟΣ, Ο ΤΩΝ ΘΕΩΝ ΠΑΤΗΡ, ΠΡΟΕΚΡΙΝΕΝ ΔΙΑ ΤΟΝ ΑΡΕΑ. ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΠΑΓΧΑΡΗΣ, ΗΛΙΟΥ ΠΑΙΣ, ΚΑΙ ΥΠΟ ΗΛΙΟΥ ΦΙΛΟΥΜΕΝΟΣ.

ΑΦΗΛΙΩΤΗΣ ΠΡΩΤΟΣ ΣΤΙΧΟΣ.

Ο ΑΦ' ΗΛΙΟΥ ΠΟΛΕΩΣ ΜΕΓΑΣ ΘΕΟΣ ΕΝΟΥΡΑΝΙΟΣ. ΑΠΟΛΛΩΝ ΚΡΑΤΕΡΟΣ, ΗΡΩΝΟΣ ΥΙΟΣ. ΟΝ ΗΛΙΟΣ ΗΓΩΓΗΣΕΝ[3]. ΟΝ ΟΙ ΘΕΟΙ ΕΤΙΜΗΣΑΝ. Ο ΠΑΣΗΣ ΓΗΣ ΒΑΣΙΛΕΥΩΝ. ΟΝ

---

1. Edidit συνετέλεσεν Zoega, nil monito lectore, nullaque, ut videtur, auctoritate fultus.

2 Crediderim scripsisse Hermapionem ΑΛΛΟΣ ΤΡΙΤΟΣ ΣΤΙΧΟΣ; ut congrueret scilicet hic versus cum præcedentibus.

3. Gronovius legendum conjicit ἡρώγησεν; interpres [Hieronymus Brunellus] substituisse videtur ἠγάπησεν: at suspicor Hermapioni ἡγώγησεν idem significasse quod παιδηγώγησεν. Etiam Bargæus atque Kircherus Latine reddiderunt *educavit*. Zoega.

ΗΛΙΟΣ ΠΡΟΕΚΡΙΝΕΝ . Ο ΑΛΚΙΜΟΣ ΔΙΑ ΤΟΝ ΑΡΕΑ ΒΑΣΙΛΕΥΣ . ΟΝ ΑΜΜΩΝ ΦΙΛΕΙ , ΚΑΙ Ο ΠΑΜΦΕΓΓΗΣ , ΣΥΓΚΡΙΝΑΣ ΑΙΩΝΙΟΝ ΒΑΣΙΛΕΑ . Et reliqua.

VERSIO LATINA[4].

A MERIDIONALI OMNINO PARTE SIC SE HABENT INTERPRETATA.

VERSUS PRIMUS.

Hæc dicit Sol Regi Rhamesti: donavimus tibi totum terrarum orbem, ut cum gaudio regnares; quem Sol amat, et Apollo, fortis, veritatis amans filius Heronis, Deo prognatus terrarum orbis conditor, quem Sol selegit. Bellipotens Martius Rex Rhamestes; cui subjecta omnis terra est cum

4. Brunelli versionem edidit Ang. Roccha in descriptione bibliothecæ Vaticanæ p. 20. et in suam editionem recepit Gronovius. Alias nonnihil diversas protulerunt Pet. Angelius Bargæus in commentario de obelisco in Græv. thesaur. tom. IV. p. 1914. Kircherus in Œdipi tomo III. p. 251. et Marshamus canonis chronici seculo 16. p. 459. ...... Vertisse quoque Vignerium ad Livium cap. 1450. doceor ex notis Lindenbrogii ad Ammianum. Zoega. Harum versionum priorem habebis apud Zoeg. p. 26. necnon et in Lindenbrogii notis, p. 26.

robore ac fiducia: Rex Rhamestes, Solis filius æternum vivens.

VERSUS SECUNDUS.

Apollo fortis, qui in veritate insistit, dominus diadematis, Ægyptum a semet glorificatam possidens: qui Solis urbem nobilitavit, reliquumque terrarum orbem condidit, et honoribus ingentibus amplificavit deos in Solis urbe constitutos; quem Sol amat.

VERSUS TERTIUS.

Apollo fortis, Solis filius præfulgidus, quem Sol selegit, et Mars bellipotens donis auxit; cujus bona in omni tempore perdurant: quem Ammon diligit, Phœnicis delubro bonis impleto; cui Dii vitæ tempus largiti sunt.

ALIUS VERSUS PRIMUS.

Apollo fortis, filius Heronis, Rex orbis terrarum Rhamestes, qui devictis alienigenis Ægyptum servavit: quem Sol amat; cui Dii multum vitæ tempus largiti sunt: orbis terrarum dominus, Rhamestes æternum vivens.

ALIUS VERSUS SECUNDUS.

Sol deus, magnus cœli dominus: donavi te vita satietatis nescia: Apollo fortis, dominus diadematis, incomparabilis; cui statuas posuit in hoc

regno Ægypti dominus, ornavitque Solis civitatem, ipsumque Solem pariter, cœli dominum. Præclarum opus confecit Solis filius, Rex æternum vivens.

VERSUS TERTIUS.

Sol deus, cœli dominus, Rhamesti imperium dedi, et in omnes dominationem: quem Apollo, veritatis amans, dominus temporum, et Vulcanus, deorum pater, selegit propter Martiam virtutem: Rex gaudii plenus, Solis filius, et a Sole amatus.

A PARTE ORIENTALI VERSUS PRIMUS.

Ab urbe Solis oriundus magnus deus cœlum incolens, Apollo fortis, Heronis filius; quem Sol educavit; quem Dii honoribus affecerunt; qui universo terrarum orbi dominatur; quem Sol selegit: strenuus inter belligerandum Rex; quem Ammon diligit, et qui totus præfulgidus Regem ad vitam immortalem designavit.

II.

QUÆ IN TABULA ROSETTANA REPERITUR, INSCRIPTIO GRÆCA[1].

(Uncinis inclusæ voces a manu sunt Porsoni, lacunas in lapide explentis ex conjectura. Figuræ, quæ præeunt, ordinis linearum significationem conficiunt. Ad imum paginarum subjicitur, quæ in archetypo occurrit, varietas lectionum.)

(1) ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ ΤΟΥ ΝΕΟΥ, ΚΑΙ ΠΑΡΑΛΑΒΟΝΤΟΣ ΤΗΝ ΒΑΣΙΛΕΙΑΝ ΠΑΡΑ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ, ΚΥΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ, ΜΕΓΑΛΟΔΟΞΟΥ, ΤΟΥ ΤΗΝ ΑΙΓΥΠΤΟΝ ΚΑΤΑΣΤΗΣΑΜΕΝΟΥ, ΚΑΙ ΤΑ ΠΡΟΣ ΤΟΥΣ

(2) ΘΕΟΥΣ ΕΥΣΕΒΟΥΣ, ΑΝΤΙΠΑΛΩΝ ΥΠΕΡΤΕΡΟΥ, ΤΟΥ ΤΟΝ ΒΙΟΝ ΤΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ΕΠΑΝΟΡΘΩΣΑΝΤΟΣ, ΚΥΡΙΟΥ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑΕ-

1. [Hujusce inscriptionis, sic expletæ, usum mihi humanissime concessit Soc. Antiquar. Londinensis. Idem dictum puta de Latina, quæ adjecta est, interpretatione, a Chr. G. Heyne, Profess. Sodal. Honor. Gotting. expressa.]

ΤΗΡΙΔΩΝ, ΚΑΘΑΠΕΡ Ο ΗΦΑΙΣΤΟΣ, Ο ΜΕΓΑΣ· ΒΑΣΙΛΕΩΣ, ΚΑΘΑΠΕΡ Ο ΗΛΙΟΣ,

(3) ΜΕΓΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΤΕ ΑΝΩ ΚΑΙ ΤΩΝ ΚΑΤΩ ΧΩΡΩΝ · ΕΚΓΟΝΟΥ ΘΕΩΝ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΩΝ · ΟΝ Ο ΗΦΑΙΣΤΟΣ ΕΔΟΚΙΜΑΣΕΝ · ΩΙ Ο ΗΛΙΟΣ ΕΔΩΚΕΝ ΤΗΝ ΝΙΚΗΝ · ΕΙΚΟΝΟΣ ΖΩΣΗΣ ΤΟΥ ΔΙΟΣ, ΥΙΟΥ ΤΟΥ ΗΛΙΟΥ, ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ,

(4) ΑΙΩΝΟΒΙΟΥ, ΗΓΑΠΗΜΕΝΟΥ ΥΠΟ ΤΟΥ ΦΘΑ · ΕΤΟΥΣ ΕΝΑΤΟΥ, ΕΦ' ΙΕΡΕΩΣ ΑΕΤΟΥ, ΤΟΥ ΑΕΤΟΥ, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, ΚΑΙ ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ, ΚΑΙ ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ, ΚΑΙ ΘΕΩΝ ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ, ΚΑΙ ΘΕΩΝ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΩΝ, ΚΑΙ

(5) ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΥ · ΑΘΛΟΦΟΡΟΥ ΒΕΡΕΝΙΚΗΣ ΕΥΕΡΓΕΤΙΔΟΣ, ΠΥΡΡΑΣ, ΤΗΣ ΦΙΛΙΝΟΥ · ΚΑΝΗΦΟΡΟΥ ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ, ΑΡΕΙΑΣ, ΤΗΣ ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ · ΙΕΡΕΙΑΣ ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ, ΕΙΡΗΝΗΣ,

(6) ΤΗΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ · ΜΗΝΟΣ ΞΑΝΘΙΚΟΥ[2] ΤΕΤΡΑΔΙ, ΑΙΓΥΠΤΙΩΝ ΔΕ ΜΕΧΕΙΡ ΟΚ-

---

2. ΞΑΝΔΙΚΟΥ.

ΤΩΚΑΙΔΕΚΑΤΗΙ · ΨΗΦΙΣΜΑ ΟΙ ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ, ΚΑΙ ΠΡΟΦΗΤΑΙ, ΚΑΙ ΟΙ ΕΙΣ ΤΟ ΑΔΥΤΟΝ ΕΙΣΠΟΡΕΥΟΜΕΝΟΙ[1] ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΣΤΟΛΙΣΜΟΝ ΤΩΝ

(7) ΘΕΩΝ, ΚΑΙ ΠΤΕΡΟΦΟΡΑΙ, ΚΑΙ ΙΕΡΟΓΡΑΜΜΑΤΕΙΣ, ΚΑΙ ΟΙ ΑΛΛΟΙ ΙΕΡΕΙΣ ΠΑΝΤΕΣ, ΟΙ ΑΠΑΝΤΗΣΑΝΤΕΣ ΕΚ ΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΧΩΡΑΝ ΙΕΡΩΝ ΕΙΣ ΜΕΜΦΙΝ ΤΩΙ ΒΑΣΙΛΕΙ, ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΠΑΝΗΓΥΡΙΝ ΤΗΣ ΠΑΡΑΛΗΨΕΩΣ ΤΗΣ

(8) ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ, ΤΗΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ, ΑΙΩΝΟΒΙΟΥ, ΗΓΑΠΗΜΕΝΟΥ ΥΠΟ ΤΟΥ ΦΘΑ, ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΥ, ΗΝ ΠΑΡΕΛΑΒΕΝ ΠΑΡΑ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΑΥΤΟΥ, ΣΥΝΑΧΘΕΝΤΕΣ ΕΝ ΤΩΙ ΕΝ ΜΕΜΦΕΙ ΙΕΡΩΙ, ΤΗΙ ΗΜΕΡΑΙ ΤΑΥΤΗΙ ΕΙΠΑΝ.

(9) ΕΠΕΙΔΗ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ, ΑΙΩΝΟΒΙΟΣ, ΗΓΑΠΗΜΕΝΟΣ ΥΠΟ ΤΟΥ ΦΘΑ, ΘΕΟΣ ΕΠΙΦΑΝΗΣ, ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΣ, Ο ΕΚ[2] ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΡΣΙΝΟΗΣ, ΘΕΩΝ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΩΝ, ΚΑΤΑ ΠΟΛΛΑ ΕΥΕΡΓΕΤΗΚΕΝ ΤΑ Θ' ΙΕΡΑ, ΚΑΙ

---

1. ΕΙΞΠΟΡΕΥΟΜΕΝΟΙ.
2. ΕΓ.

(10) ΤΟΥΣ ΕΝ ΑΥΤΟΙΣ ΟΝΤΑΣ, ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΥΠΟ ΤΗΝ ΕΑΥΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΙΑΝ ΤΑΣΣΟΜΕΝΟΥΣ ΑΠΑΝΤΑΣ · ΥΠΑΡΧΩΝ ΘΕΟΣ ΕΚ ΘΕΟΥ ΚΑΙ ΘΕΑΣ, ΚΑΘΑΠΕΡ ΩΡΟΣ, Ο ΤΗΣ ΙΣΙΟΣ ΚΑΙ ΟΣΙΡΙΟΣ ΥΙΟΣ, Ο ΕΠΑΜΥΝΑΣ ΤΩΙ ΠΑΤΡΙ ΑΥΤΟΥ ΟΣΙΡΕΙ ·[3] ΤΑ ΠΡΟΣ ΘΕΟΥΣ

(11) ΕΥΕΡΓΕΤΙΚΩΣ ΔΙΑΚΕΙΜΕΝΟΣ, ΑΝΑΤΕΘΕΙΚΕΝ ΕΙΣ ΤΑ ΙΕΡΑ ΑΡΓΥΡΙΚΑΣ ΤΕ ΚΑΙ ΣΙΤΙΚΑΣ[4] ΠΡΟΣΟΔΟΥΣ · ΚΑΙ ΔΑΠΑΝΑΣ ΠΟΛΛΑΣ ΥΠΟΜΕΜΕΝΗΚΕΝ, ΕΝΕΚΑ ΤΟΥ ΤΗΝ ΑΙΓΥΠΤΟΝ ΕΙΣ ΕΥΔΙΑΝ ΑΓΑΓΕΙΝ, ΚΑΙ ΤΑ ΙΕΡΑ ΚΑΤΑΣΤΗΣΑΣΘΑΙ,

(12) ΤΑΙΣ ΤΕ ΕΑΥΤΟΥ ΔΥΝΑΜΕΣΙΝ ΠΕΦΙΛΑΝΘΡΩΠΗΚΕ ΠΑΣΑΙΣ, ΚΑΙ ΑΠΟ ΤΩΝ ΥΠΑΡΧΟΥΣΩΝ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩΙ ΠΡΟΣΟΔΩΝ, ΚΑΙ ΦΟΡΟΛΟΓΙΩΝ, ΤΙΝΑΣ ΜΕΝ ΕΙΣ ΤΕΛΟΣ ΑΦΗΚΕΝ, ΑΛΛΑΣ ΔΕ ΚΕΚΟΥΦΙΚΕΝ, ΟΠΩΣ Ο ΤΕ ΛΑΟΣ, ΚΑΙ ΟΙ ΑΛΛΟΙ ΠΑΝΤΕΣ ΕΝ

(13) ΕΥΘΗΝΙΑΙ ΩΣΙΝ ΕΠΙ ΤΗΣ ΕΑΥΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ · ΤΑ ΤΕ ΒΑΣΙΛΙΚΑ ΟΦΕΙΛΗΜΑΤΑ, Α ΠΡΟΣΟΦΕΙΛΟΝ ΟΙ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩΙ, ΚΑΙ ΟΙ ΕΝ ΤΗΙ ΛΟΙΠΗΙ ΒΑΣΙΛΕΙΑΙ ΑΥΤΟΥ, ΟΝΤΑ ΠΟΛΛΑ,

---

3. [Videtur excidisse τὸ ΚΑΙ.]

4. ΣΙΤΙΧΑΣ.

ΤΩΙ ΠΛΗΘΕΙ ΑΦΗΚΕΝ · ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΕΝ ΤΑΙΣ ΦΥΛΑΚΑΙΣ

(14) ΑΠΗΓΜΕΝΟΥΣ, ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΕΝ ΑΙΤΙ-ΑΙΣ ΟΝΤΑΣ ΕΚ ΠΟΛΛΟΥ ΧΡΟΝΟΥ, ΑΠΕΛΥΣΕ ΤΩΝ ΕΓΚΕΚΛΗΜΕΝΩΝ[1] · ΠΡΟΣΕΤΑΞΕ ΔΕ ΚΑΙ ΤΑΣ ΠΡΟΣΟΔΟΥΣ ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ, ΚΑΙ ΤΑΣ ΔΙΔΟ-ΜΕΝΑΣ ΕΙΣ ΑΥΤΑ ΚΑΤ' ΕΝΙΑΥΤΟΝ ΣΥΝΤΑΞ-ΕΙΣ, ΣΙΤΙ-

(15) ΚΑΣ ΤΕ ΚΑΙ ΑΡΓΥΡΙΚΑΣ, ΟΜΟΙΩΣ ΔΕ ΚΑΙ ΤΑΣ ΚΑΘΗΚΟΥΣΑΣ ΑΠΟΜΟΙΡΑΣ ΤΟΙΣ ΘΕΟΙΣ, ΑΠΟ ΤΕ ΤΗΣ ΑΜΠΕΛΙΤΙΔΟΣ ΓΗΣ, ΚΑΙ ΤΩΝ ΠΑΡΑΔΕΙΣΩΝ, ΚΑΙ ΤΩΝ ΑΛΛΩΝ, ΤΩΝ ΥΠΑΡΞΑΝΤΩΝ ΤΟΙΣ ΘΕΟΙΣ ΕΠΙ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΑΥΤΟΥ,

(16) ΜΕΝΕΙΝ ΕΠΙ ΧΩΡΑΣ · ΠΡΟΣΕΤΑΞΕΝ ΔΕ ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ, ΟΠΩΣ ΜΗΘΕΝ ΠΛΕΙΟΝ ΔΙΔΩΣΙΝ ΕΙΣ ΤΟ ΤΕΛΕΣΤΙΚΟΝ, ΟΥ ΕΤΑΣΣΟΝΤΟ ΕΩΣ ΤΟΥ ΠΡΩΤΟΥ ΕΤΟΥΣ ΕΠΙ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΑΥΤΟΥ · ΑΠΕΛΥΣΕΝ ΔΕ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΕΚ ΤΩΝ

(17) ΙΕΡΩΝ ΕΘΝΩΝ ΤΟΥ ΚΑΤ' ΕΝΙΑΥΤΟΝ ΕΙΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΝ ΚΑΤΑΠΛΟΥ · ΠΡΟΣΕ-

1. ΕΝΚΕΚΛΗΜΕΝΩΝ.

ΤΑΞΕΝ ΔΕ ΚΑΙ ΤΗΝ ΣΥΛΛΗΨΙΝ ΤΩΝ ΕΙΣ ΤΗΝ ΝΑΥΤΕΙΑΝ ΜΗ ΠΟΙΕΙΣΘΑΙ· ΤΩΝ Τ' ΕΙΣ ΤΟ ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ ΣΥΝΤΕΛΟΥΜΕΝΩΝ ΕΝ ΤΟΙΣ ΙΕΡΟΙΣ ΒΥΣΣΙΝΩΝ

(18) ΟΘΟΝΙΩΝ ΑΠΕΛΥΣΕΝ ΤΑ ΔΥΟ ΜΕΡΗ · ΤΑ ΤΕ ΕΚΛΕΛΕΙΜΜΕΝΑ[2] ΠΑΝΤΑ ΕΝ ΤΟΙΣ ΠΡΟΤΕΡΟΝ ΧΡΟΝΟΙΣ ΑΠΟΚΑΤΕΣΤΗΣΕΝ ΕΙΣ ΤΗΝ ΚΑΘΗΚΟΥΣΑΝ ΤΑΞΙΝ , ΦΡΟΝΤΙΖΩΝ ΟΠΩΣ ΤΑ ΕΙΘΙΣΜΕΝΑ ΣΥΝΤΕΛΗΤΑΙ ΤΟΙΣ ΘΕΟΙΣ ΚΑΤΑ ΤΟ

(19) ΠΡΟΣΗΚΟΝ · ΟΜΟΙΩΣ ΔΕ ΚΑΙ ΤΟ ΔΙΚΑΙΟΝ ΠΑΣΙΝ ΑΠΕΝΕΙΜΕΝ , ΚΑΘΑΠΕΡ ΕΡΜΗΣ Ο ΜΕΓΑΣ ΚΑΙ ΜΕΓΑΣ · ΠΡΟΣΕΤΑΞΕΝ[3] ΔΕ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΚΑΤΑΠΟΡΕΥΟΜΕΝΟΥΣ ΕΚ ΤΕ ΤΩΝ ΜΑΧΙΜΩΝ , ΚΑΙ ΤΩΝ ΑΛΛΩΝ , ΤΩΝ ΑΛΛΟΤΡΙΑ

(20) ΦΡΟΝΗΣΑΝΤΩΝ , ΕΝ ΤΟΙΣ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΤΑΡΑΧΗΝ ΚΑΙΡΟΙΣ, ΚΑΤΕΛΘΟΝΤΑΣ ΜΕΝΕΙΝ ΕΠΙ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΚΤΗΣΕΩΝ · ΠΡΟΕΝΟΗΘΗ ΔΕ ΚΑΙ ΟΠΩΣ ΕΞΑΠΟΣΤΑΛΩΣΙΝ ΔΥΝΑΜΕΙΣ ΙΠΠΙΚΑΙ ΤΕ ΚΑΙ ΠΕΖΙΚΑΙ , ΚΑΙ ΝΗΕΣ , ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΕΠΕΛΘΟΝΤΑΣ

---

2. ΕΓΛΕΛΕΙΜΜΕΝΑ .

3. ΠΡΣΕΤΑΞΕΝ .

(21) ΕΠΙ ΤΗΝ ΑΙΓΥΠΤΟΝ ΚΑΤΑ ΤΕ ΤΗΝ ΘΑΛΑΣΣΑΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΗΠΕΙΡΟΝ, ΥΠΟΜΕΙΝΑΣ ΔΑΠΑΝΑΣ ΑΡΓΥΡΙΚΑΣ ΤΕ ΚΑΙ ΣΙΤΙΚΑΣ ΜΕΓΑΛΑΣ, ΟΠΩΣ ΤΑ Θ' ΙΕΡΑ, ΚΑΙ ΟΙ ΕΝ ΑΥΤΗΙ ΠΑΝΤΕΣ[1], ΕΝ ΑΣΦΑΛΕΙΑΙ ΩΣΙΝ· ΠΑΡΑΓΙΝΟΜΕ-

(22) ΝΟΣ ΔΕ ΚΑΙ ΕΙΣ ΛΥΚΩΝ ΠΟΛΙΝ, ΤΗΝ ΕΝ ΤΩΙ ΒΟΥΣΙΡΙΤΗΙ, Η ΗΝ ΚΑΤΕΙΛΗΜΜΕΝΗ ΚΑΙ ΩΧΥΡΩΜΕΝΗ ΠΡΟΣ ΠΟΛΙΟΡΚΙΑΝ ΟΠΛΩΝ ΤΕ ΠΑΡΑΘΕΣΕΙ ΔΑΨΙΛΕΣΤΕΡΑΙ, ΚΑΙ ΤΗΙ ΑΛΛΗΙ ΧΟΡΗΓΙΑΙ ΠΑΣΗΙ, ΩΣ ΑΝ ΕΚ ΠΟΛΛΟΥ

(23) ΧΡΟΝΟΥ[2] ΣΥΝΕΣΤΗΚΥΙΑΣ ΤΗΣ ΑΛΛΟΤΡΙΟΤΗΤΟΣ ΤΟΙΣ ΕΠΙΣΥΝΑΧΘΕΙΣΙΝ ΕΙΣ ΑΥΤΗΝ ΑΣΕΒΕΣΙΝ, ΟΙ ΗΣΑΝ ΕΙΣ ΤΕ ΤΑ ΙΕΡΑ, ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩΙ ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΑΣ, ΠΟΛΛΑ ΚΑΚΑ ΣΥΝΤΕΤΕΛΕΣΜΕΝΟΙ, ΚΑΙ ΑΝ-

(24) ΤΙΚΑΘΙΣΑΣ, ΧΩΜΑΣΙΝ ΤΕ ΚΑΙ ΤΑΦΡΟΙΣ ΚΑΙ ΤΕΙΧΕΣΙΝ ΑΥΤΗΝ ΑΞΙΟΛΟΓΟΙΣ ΠΕΡΙΕΛΑΒΕΝ· ΤΟΥ ΤΕ ΝΕΙΛΟΥ ΤΗΝ ΑΝΑΒΑΣΙΝ ΜΕΓΑΛΗΝ ΠΟΙΗΣΑΜΕΝΟΥ ΕΝ ΤΩΙ ΟΓΔΟΩΙ ΕΤΕΙ, ΚΑΙ ΕΙΘΙΣΜΕΝΟΥ ΚΑΤΑΚΛΥΖΕΙΝ ΤΑ

---

1. ΠΑΝΤΑΣ.
2. ΧΟΝΟΥ.

(25) ΠΕΔΙΑ , ΚΑΤΕΣΧΕΝ , ΕΚ ΠΟΛΛΩΝ ΤΟΠΩΝ ΟΧΥΡΩΣΑΣ ΤΑ ΣΤΟΜΑΤΑ ΤΩΝ ΠΟΤΑΜΩΝ , ΧΟΡΗΓΗΣΑΣ ΕΙΣ ΑΥΤΑ ΧΡΗΜΑΤΩΝ ΠΛΗΘΟΣ ΟΥΚ ΟΛΙΓΟΝ · ΚΑΙ , ΚΑΤΑΣΤΗΣΑΣ ΙΠΠΕΙΣ ΤΕ ΚΑΙ ΠΕΖΟΥΣ ΠΡΟΣ ΤΗΙ ΦΥΛΑΚΗΙ

(26) ΑΥΤΩΝ , ΕΝ ΟΛΙΓΩΙ ΧΡΟΝΩΙ ΤΗΝ ΤΕ ΠΟΛΙΝ ΚΑΤΑ ΚΡΑΤΟΣ ΕΙΛΕΝ , ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΕΝ ΑΥΤΗΙ ΑΣΕΒΕΙΣ ΠΑΝΤΑΣ ΔΙΕΦΘΕΙΡΕΝ · ΚΑΘΑΠΕ[Ρ ΕΡΜ]ΗΣ , ΚΑΙ ΩΡΟΣ , Ο ΤΗΣ ΙΣΙΟΣ ΚΑΙ ΟΣΙΡΙΟΣ ΥΙΟΣ , ΕΧΕΙΡΩΣΑΝΤΟ ΤΟΥΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΑΥΤΟΙΣ

(27) ΤΟΠΟΙΣ ΑΠΟΣΤΑΝΤΑΣ ΠΡΟΤΕΡΟΝ · ΤΟΥΣ ΑΦΗΓΗΣΑΜΕΝΟΥΣ ΤΩΝ ΑΠΟΣΤΑΝΤΩΝ ΕΠΙ ΤΟΥ ΕΑΥΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ , ΚΑΙ ΤΗΝ ΧΩΡΑΝ Ε[ΡΗΜΩΣ]ΑΝΤΑΣ , ΚΑΙ ΤΑ ΙΕΡΑ ΑΔΙΚΗΣΑΝΤΑΣ , ΠΑΡΑΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΕΙΣ ΜΕΜΦΙΝ , ΕΠΑΜΥΝΩΝ

(28) ΤΩΙ ΠΑΤΡΙ ΚΑΙ ΤΗΙ ΕΑΥΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΙΑΙ , ΠΑΝΤΑΣ ΕΚΟΛΑΣΕΝ ΚΑΘΗΚΟΝΤΩΣ , ΚΑΘ' ΟΝ ΚΑΙΡΟΝ ΠΑΡΕΓΕΝΗΘΗ ΠΡΟΣ ΤΟ ΣΥΝΤΕΛΕΣΘΗ[ΝΑΙ ΑΥΤΩΙ ΤΑ] ΠΡΟΣΗΚΟΝΤΑ ΝΟΜΙΜΑ ΤΗΙ ΠΑΡΑΛΗΨΕΙ ΤΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ · ΑΦΗΚΕΝ ΔΕ ΚΑΙ ΤΑ Ε[Ν]

(29) ΤΟΙΣ ΙΕΡΟΙΣ ΟΦΕΙΛΟΜΕΝΑ ΕΙΣ ΤΟ

ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ ΕΩΣ ΤΟΥ ΟΓΔΟΟΥ ΕΤΟΥΣ, ΟΝΤΑ ΕΙΣ ΣΙΤΟΥ ΤΕ ΚΑΙ ΑΡΓΥΡΙΟΥ ΠΛΗΘΟΣ ΟΥΚ ΟΛΙΓΟΝ · ΩΣΑΥ[ΤΩΣ ΔΕ Κ]ΑΙ ΤΑΣ ΤΙΜΑΣ ΤΩΝ ΜΗ ΣΥΝΤΕΤΕΛΕΣΜΕΝΩΝ ΕΙΣ ΤΟ ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ ΒΥΣΣΙΝΩΝ ΟΘ[ΟΝΙ-]

(30) ΩΝ, ΚΑΙ ΤΩΝ ΣΥΝΤΕΤΕΛΕΣΜΕΝΩΝ ΤΑ ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΔΕΙΓΜΑΤΙΣΜΟΝ ΔΙΑΦΘΡΑ ΕΩΣ ΤΩΝ ΑΥΤΩΝ ΧΡΟΝΩΝ · ΑΠΕΛΥΣΕΝ ΔΕ ΤΑ ΙΕΡΑ ΚΑΙ ΤΗΣ Λ[ΕΛΕΙΜΜ]ΕΝΗΣ ΑΡΤΑΒΗΣ ΤΗΙ ΑΡΟΥΡΑΙ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΓΗΣ, ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΜΠΕΛΙΤΙΔΟΣ, ΟΜΟΙ[ΩΣ ΔΕ]

(31) ΤΟ ΚΕΡΑΜΙΟΝ ΤΗΙ ΑΡΟΥΡΑΙ · ΤΩΙ ΤΕ ΑΠΕΙ ΚΑΙ ΤΩΙ ΜΝΕΥΕΙ ΠΟΛΛΑ ΕΔΩΡΗΣΑΤΟ, ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΑΛΛΟΙΣ ΙΕΡΟΙΣ ΖΩΟΙΣ[1], ΤΟΙΣ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩΙ · ΠΟΛΥ Κ[ΡΕ]ΙΣΣΟΝ ΤΩΝ ΠΡΟ ΑΥΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΝ[2] ΦΡΟΝΤΙΖΩΝ ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΑΝΗΚΟΝ[ΤΩΝ ΕΙΣ]

(32) ΑΥΤΑ ΔΙΑΠΑΝΤΟΣ · ΤΑ Τ' ΕΙΣ ΤΑΣ ΤΑΦΑΣ ΑΥΤΩΝ ΚΑΘΗΚΟΝΤΑ ΔΙΔΟΥΣ ΔΑΨΙΛΩΣ ΚΑΙ ΕΝΔΟΞΩΣ, ΚΑΙ ΤΑ ΤΕΛΙΣΚΟΜΕΝΑ ΕΙΣ ΤΑ ΙΔΙΑ ΙΕΡΑ, ΜΕΤΑ ΘΥΣΙΩΝ, ΚΑΙ ΠΑ-

1. ΖΩΙΟΙΣ.
2. ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ.

ΝΗΓΥΡΕΩΝ , ΚΑΙ ΤΩΝ ΑΛΛΩΝ ΤΩΝ ΝΟΜΙ[ΖΟ-ΜΕΝΩΝ ·]

(33) ΤΑ ΤΕ ΤΙΜΙΑ ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ , ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΙΓΥΠΤΟΥ , ΔΙΑΤΕΤΗΡΗΚΕΝ ΕΠΙ ΧΩΡΑΣ ΑΚΟΛΟΥΘΩΣ ΤΟΙΣ ΝΟΜΟΙΣ · ΚΑΙ ΤΟ ΑΠΙΕΙ-ΟΝ ΕΡΓΟΙΣ ΠΟΛΥΤΕΛΕΣΙΝ ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕΝ , ΧΟΡΗΓΗΣΑΣ ΕΙΣ ΑΥΤΟ ΧΡΥΣΙΟΥ ΤΕ Κ[ΑΙ ΑΡ-ΓΥΡΙ-]

(34) ΟΥ , ΚΑΙ ΛΙΘΩΝ ΠΟΛΥΤΕΛΩΝ , ΠΛΗ-ΘΟΣ ΟΥΚ ΟΛΙΓΟΝ · ΚΑΙ ΙΕΡΑ , ΚΑΙ ΝΑΟΥΣ , ΚΑΙ ΒΩΜΟΥΣ , ΙΔΡΥΣΑΤΟ · ΤΑ ΤΕ ΠΡΟΣΔΕ-ΟΜΕΝΑ ΕΠΙΣΚΕΥΗΣ ΠΡΟΣΔΙΩΡΘΩΣΑΤΟ , Ε-ΧΩΝ ΘΕΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΙΚΟΥ ΕΝ ΤΟΙΣ ΑΝΗΚΟΥ-[ΣΙΝ ΕΙΣ ΤΟ]

(35) ΘΕΙΟΝ ΔΙΑΝΟΙΑΝ · ΠΡΟΣΠΥΝΘΑΝΟ-ΜΕΝΟΣ ΤΕ , ΤΑ ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ ΤΙΜΙΩΤΑΤΑ ΑΝΕ-ΝΕΟΥΤΟ[3] ΕΠΙ ΤΗΣ ΕΑΥΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ , ΩΣ ΚΑΘΗΚΕΙ · ΑΝΘ' ΩΝ ΔΕΔΩΚΑΣΙΝ ΑΥΤΩΙ ΟΙ ΘΕΟΙ ΥΓΙΕΙΑΝ , ΝΙΚΗΝ , ΚΡΑΤΟΣ , ΚΑΙ ΤΑΛΛ' ΑΓΑΘ[Α ΠΑΝΤΑ ,]

(36) ΤΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΔΙΑΜΕΝΟΥΣΗΣ ΑΥ-ΤΩΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΤΕΚΝΟΙΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΠΑΝΤΑ ΧΡΟΝΟΝ · ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ · ΕΔΟΞΕΝ ΤΟΙΣ

3. ΑΝΑΝΕΟΥΤΟ .

ΙΕΡΕΥΣΙ ΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΧΩΡΑΝ ΙΕΡΩΝ ΠΑΝΤΩΝ, ΤΑ ΥΠΑΡΧΟΝΤΑ Τ[ΙΜΙΑ ΤΕΛΕΙΝ]

(37) ΤΩΙ ΑΙΩΝΟΒΙΩΙ ΒΑΣΙΛΕΙ ΠΤΟΛΕΜΑΙΩΙ, ΗΓΑΠΗΜΕΝΩΙ ΥΠΟ ΤΟΥ ΦΘΑ, ΘΕΩΙ ΕΠΙΦΑΝΕΙ, ΕΥΧΑΡΙΣΤΩΙ, ΟΜΟΙΩΣ ΔΕ ΚΑΙ ΤΑ ΤΩΝ ΓΟΝΕΩΝ ΑΥΤΟΥ, ΘΕΩΝ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΩΝ[1], ΚΑΙ ΤΑ ΤΩΝ ΠΡΟΓΟΝΩΝ, ΘΕΩΝ ΕΥΕΡΓ[ΕΤΩΝ, ΚΑΙ ΤΑ]

(38) ΤΩΝ ΘΕΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ, ΚΑΙ ΤΑ ΤΩΝ ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ, ΕΠΑΥΞΕΙΝ ΜΕΓΑΛΩΣ· ΣΤΗΣΑΙ ΔΕ ΤΟΥ ΑΙΩΝΟΒΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ[2], ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΥ, ΕΙΚΟΝΑ ΕΝ ΕΚΑΣΤΩΙ ΙΕΡΩΙ, ΕΝ ΤΩΙ ΕΠΙΦΑ[ΝΕΣΤΑΤΩΙ ΤΟΠΩΙ·]

(39) Η ΠΡΟΣΟΝΟΜΑΣΘΗΣΕΤΑΙ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ, ΤΟΥ ΕΠΑΜΥΝΑΝΤΟΣ ΤΗΙ ΑΙΓΥΠΤΩΙ· ΗΙ ΠΑΡΕΣΤΗΞΕΤΑΙ[3] Ο ΚΥΡΙΩΤΑΤΟΣ ΘΕΟΣ ΤΟΥ ΙΕΡΟΥ, ΔΙΔΟΥΣ ΑΥΤΩΙ ΟΠΛΟΝ ΝΙΚΗ-

---

1. ΦΙΛΙΠΑΤΟΡΩΝ.

2. ΠΤΟΜΑΙΟΥ.

3. ["La lettre Ξ se trouve......substituée au Σ dans ΠΑΡΕΣΤΗΞΕΤΑΙ mis pour ΠΑΡΑΣΤΗΣΕΤΑΙ." Ameilhon. (*Éclaircissemens sur L'inscription Grecque du Monument trouvé a Rosette,* &c.) p. 24. Perperam. Παρεστήξεται est futurum medium ex παρεστήκω. Ἑστήξεται habet Aristot. Metaphys. Lib. 8. notante H. Stephano.]

ΤΙΚΟΝ · Α ΕΣΤΑΙ ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΜΕΝ[Α ΤΟΝ ΕΠΙΧΩΡΙΟΝ]

(40) ΤΡΟΠΟΝ · ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΙΕΡΕΙΣ ΘΕΡΑΠΕΥΕΙΝ ΤΑΣ ΕΙΚΟΝΑΣ ΤΡΙΣ ΤΗΣ ΗΜΕΡΑΣ, ΚΑΙ ΠΑΡΑΤΙΘΕΝΑΙ ΑΥΤΑΙΣ ΙΕΡΟΝ ΚΟΣΜΟΝ, ΚΑΙ Τ'ΑΛΛΑ ΤΑ ΝΟΜΙΖΟΜΕΝΑ ΣΥΝΤΕΛΕΙΝ, ΚΑΘΑ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΑΛΛΟΙΣ ΘΕΟΙΣ, ΕΝ [ΔΕ ΕΟΡΤΑΙΣ ΚΑΙ ΠΑ-]

(41) ΝΗΓΥΡΕΣΙΝ · ΙΔΡΥΣΑΣΘΑΙ ΔΕ ΒΑΣΙΛΕΙ ΠΤΟΛΕΜΑΙΩΙ, ΘΕΩΙ ΕΠΙΦΑΝΕΙ, ΕΥΧΑΡΙΣΤΩΙ, ΤΩΙ ΕΚ[3] ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΑΡΣΙΝΟΗΣ, ΘΕΩΝ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΩΝ, ΞΟΑΝΟΝ ΤΕ ΚΑΙ ΝΑΟΝ ΧΡ[ΥΣΟΥΝ ΕΝ ΕΚΑΣΤΩΙ ΤΩΝ]

(42) ΙΕΡΩΝ · ΚΑΙ ΚΑΘΙΔΡΥΣΑΙ ΕΝ ΤΟΙΣ ΑΔΥΤΟΙΣ ΜΕΤΑ ΤΩΝ ΑΛΛΩΝ ΝΑΩΝ, ΚΑΙ ΕΝ ΤΑΙΣ ΜΕΓΑΛΑΙΣ ΠΑΝΗΓΥΡΕΣΙΝ, ΕΝ ΑΙΣ ΕΞΟΔΕΙΑΙ ΤΩΝ ΝΑΩΝ ΓΙΝΟΝΤΑΙ · ΚΑΙ ΤΟΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, ΕΥ[ΧΑΡΙΣΤΟΥ, ΝΑΟΝ ΣΥΝΕ-]

(43) ΞΟΔΕΥΕΙΝ · ΟΠΩΣ Δ' ΕΥΣΗΜΟΣ ΗΙ

---

4. ΕΓ. [Supr. p. 90. 93. Satis communis in Græcis inscriptionibus hæc mutatio est τοῦ Κ in Γ. Vide Ameilhon. p. 25.]

ΝΥΝ ΤΕ ΚΑΙ ΕΙΣ ΤΟΝ ΕΠΕΙΤΑ ΧΡΟΝΟΝ, ΕΠΙΚΕΙΣΘΑΙ ΤΩΙ ΝΑΩΙ ΤΑΣ ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΧΡΥΣΑΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΔΕΚΑ, ΑΙΣ ΠΡΟΣΚΕΙΣΕΤΑΙ ΑΣΠΙΣ, [ΚΑΘΑΠΕΡ ΚΑΙ ΕΠΙ ΠΑΣΩΝ]

(44) ΤΩΝ ΑΣΠΙΔΟΕΙΔΩΝ[1] ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ[2], ΤΩΝ ΕΠΙ ΤΩΝ ΑΛΛΩΝ ΝΑΩΝ · ΕΣΤΑΙ Δ' ΑΥΤΩΝ ΕΝ ΤΩΙ ΜΕΣΩΙ Η ΚΑΛΟΥΜΕΝΗ ΒΑΣΙΛΕΙΑ ΨΧΕΝΤ · ΗΝ ΠΕΡΙΘΕΜΕΝΟΣ, ΕΙΣΗΛΘΕΝ ΕΙΣ ΤΟ ΕΝ ΜΕΜΦ[ΕΙ ΑΠΙΕΙΟΝ, ΟΠΩΣ ΣΥΝ-]

(45) ΤΕΛΕΣΘΗΙ ΤΑ ΝΟΜΙΖΟΜΕΝΑ ΤΗΙ ΠΑΡΑΛΗΨΕΙ ΤΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ · ΕΠΙΘΕΙΝΑΙ ΔΕ ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΟΥ ΠΕΡΙ ΤΑΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΤΕΤΡΑΓΩΝΟΥ, ΚΑΤΑ ΤΟ ΠΡΟΕΙΡΗΜΕΝΟΝ ΒΑΣΙΛΕΙΟΝ, ΦΥΛΑΚΤΗΡΙΑ ΧΡΥ[ΣΑ, ΕΝ ΟΙΣ ΓΕΓΡΑΨΕΤΑΙ, ΔΙΟ-]

(46) ΤΙ ΕΣΤΙΝ ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, ΤΟΥ ΕΠΙΦΑΝΗ ΠΟΙΗΣΑΝΤΟΣ ΤΗΝ ΤΕ ΑΝΩ ΧΩΡΑΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΚΑΤΩ · ΚΑΙ ΕΠΕΙ ΤΗΝ ΤΡΙΑΚΑΔΑ[3] ΤΟΥΤΟΥ[4] ΜΕΣΟΡΗ, ΕΝ ΗΙ ΤΑ ΓΕΝΕΘΛΙΑ

---

1. ΑΣΠΙΔΟΕΡΔΩΝ.

2. [Porsonus mavult ΒΑΣΙΛΕΙΟΝ.]

3. ΤΡΙΑΝΑΔΑ.

4. [ΤΟΥ veram lectionem esse existimare videtur Auctor Anonymus (*Classical Journal*, Vol. X. p. 78.); reduplicationem factam ob negligentiam lapicidæ.]

ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΓΕΤΑΙ , ΟΜΟΙΩΣ ΔΕ ΚΑΙ [ΤΗΝ (λείπει ὁ μὴν καὶ ἡ ἡμέρα)]

(47) ΕΝ ΗΙ ΠΑΡΕΛΑΒΕΝ ΤΗΝ ΒΑΣΙΛΕΙΑΝ ΠΑΡΑ[5] ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ , ΕΠΩΝΥΜΟΥΣ ΝΕΝΟΜΙΚΑΣΙΝ ΕΝ ΤΟΙΣ ΙΕΡΟΙΣ , ΑΙ ΔΗ ΠΟΛΛΩΝ ΑΓΑΘΩΝ ΑΡΧΗΓΟΙ ΠΑΣΙΝ[6] ΕΙΣΙΝ , ΑΓΕΙΝ ΤΑΣ ΗΜΕΡΑΣ ΤΑΥΤΑΣ ΕΟΡΤ[ΗΝ , ΚΑΙ ΠΑΝΗΓΥΡΙΝ , ΕΝ ΤΟΙΣ ΚΑΤΑ ΑΙ-]

(48) ΓΥΠΤΟΝ ΙΕΡΟΙΣ , ΚΑΤΑ ΜΗΝΑ · ΚΑΙ ΣΥΝΤΕΛΕΙΝ ΕΝ ΑΥΤΟΙΣ ΘΥΣΙΑΣ , ΚΑΙ ΣΠΟΝΔΑΣ , ΚΑΙ Τ'ΑΛΛΑ ΤΑ ΝΟΜΙΖΟΜΕΝΑ , ΚΑΘΑ ΚΑΙ ΕΝ ΤΑΙΣ ΑΛΛΑΙΣ ΠΑΝΗΓΥΡΕΣΙΝ · ΤΑΣ ΤΕ ΓΙΝΟΜΕΝΑΣ ΠΡΟΘ[ΕΣΕΙΣ ΔΙΔΟΝΑΙ ΤΟΙΣ ΙΕΡΕΥΣΙΝ , ΤΟΙΣ ΠΑ-]

(49) ΡΕΧΟΜΕΝΟΙΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΙΕΡΟΙΣ· ΑΓΕΙΝ ΔΕ ΕΟΡΤΗΝ , ΚΑΙ ΠΑΝΗΓΥΡΙΝ , ΤΩΙ ΑΙΩΝΟΒΙΩΙ , ΚΑΙ ΗΓΑΠΗΜΕΝΩΙ ΥΠΟ ΤΟΥ ΦΘΑ , ΒΑΣΙΛΕΙ ΠΤΟΛΕΜΑΙΩΙ , ΘΕΩΙ ΕΠΙΦΑΝΕΙ , ΕΥΧΑΡΙΣΤΩΙ , ΚΑΤ' ΕΝΙ[ΑΥΤΟΝ , ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΤΕ ΑΝΩ ΚΑΙ ΤΗΝ ΚΑΤΩ]

(50) ΧΩΡΑΝ , ΑΠΟ ΤΗΣ ΝΟΥΜΗΝΙΑΣ ΤΟΥ

5. ΠΑΡ .
6. ΓΑΣΙΝ .

ΘΩΥΘ ΕΦ' ΗΜΕΡΑΣ ΠΕΝΤΕ · ΕΝ ΑΙΣ ΚΑΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΗΣΟΥΣΙΝ , ΣΥΝΤΕΛΟΥΝΤΕΣ ΘΥΣΙΑΣ[1], ΚΑΙ ΣΠΟΝΔΑΣ , ΚΑΙ ΤΆΛΛΑ ΤΑ ΚΑΘΗΚΟΝΤΑ · ΠΡΟΣΑΓΟΡΕ[ΥΕΙΝ ΔΕ ΤΟΥΣ ΙΕΡΕΙΣ, ΤΟΥ ΤΕ ΑΙΩΝΟΒΙΟΥ ,]

(51) ΚΑΙ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ , ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΥ , ΙΕΡΕΙΣ , ΠΡΟΣ ΤΟΙΣ ΑΛΛΟΙΣ ΟΝΟΜΑΣΙΝ ΤΩΝ ΘΕΩΝ , ΩΝ ΙΕΡΑΤΕΥΟΥΣΙ , ΚΑΙ ΚΑΤΑΧΩΡΙΣΑΙ ΕΙΣ ΠΑΝΤΑΣ ΤΟΥΣ ΧΡΗΜΑΤΙΣΜΟΥΣ , ΚΑΙ ΕΙΣ ΤΟΥΣ Δ[ΕΙΓΜΑΤΙΣΜΟΥΣ, ΤΟΥΣ ΑΝΗΚΟΝΤΑΣ ΕΙΣ ΤΗΝ]

(52) ΙΕΡΑΤΕΙΑΝ ΑΥΤΟΥ · ΕΞΕΙΝΑΙ ΔΕ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΑΛΛΟΙΣ ΙΔΙΩΤΑΙΣ ΑΓΕΙΝ ΤΗΝ ΕΟΡΤΗΝ, ΚΑΙ ΤΟΝ ΠΡΟΕΙΡΗΜΕΝΟΝ ΝΑΟΝ ΙΔΡΥΕΣΘΑΙ , ΚΑΙ ΕΧΕΙΝ ΠΑΡ' ΑΥΤΟΙΣ , ΣΥΝΤΕΛΟΥ[ΝΤΑΣ ΤΑ ΠΡΟΣΗΚΟΝΤΑ ΝΟΜΙΜΑ ΕΝ ΤΑΙΣ ΕΟΡΤΑΙΣ,]

(53) [ΤΑ]ΙΣ ΚΑΤ' ΕΝΙΑΥΤΟΝ · ΟΠΩΣ ΓΝΩΡΙΜΟΝ ΗΙ , ΔΙΟΤΙ ΟΙ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩΙ ΑΥΞΟΥΣΙ, ΚΑΙ ΤΙΜΩΣΙ , ΤΟΝ ΘΕΟΝ ΕΠΙΦΑΝΗ , ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΝ , ΒΑΣΙΛΕΑ , ΚΑΘΑΠΕΡ ΝΟΜΙΜΟΝ ΕΣΤ[ΙΝ · ΤΟ ΔΕ ΨΗΦΙΣΜΑ ΤΟΥΤΟ ΑΝΑΓΡΑΨΑΙ ΕΙΣ ΣΤΗΛΗΝ ΜΕΛ-]

---

1. ΘΥΕΙΑΣ .

(54) [ΑΝΟΣ Σ]ΤΕΡΕΟΥ ΛΙΘΟΥ , ΤΟΙΣ ΤΕ ΙΕΡΟΙΣ , ΚΑΙ ΕΓΧΩΡΙΟΙΣ , ΚΑΙ ΕΛΛΗΝΙΚΟΙΣ ΓΡΑΜΜΑΣΙΝ · ΚΑΙ ΣΤΗΣΑΙ ΕΝ ΕΚΑΣΤΩΙ ΤΩΝ ΤΕ ΠΡΩΤΩΝ ΚΑΙ ΔΕΥΤΕΡΩ[Ν ΘΕΩΝ ΙΕΡΩΙ .] [2]

VERSIO LATINA.

(1) REGNANTE novo, et regnum a patre acceptum tenente, *domino regnorum, glorioso, Ægypti regnatore, et in*

(2) *deos pio, adversariis superiore* [facto], *vitæ hominum restitutore, domino cycli xxx. annorum,* eo modo quo Vulcanus, magnus; *rege,* ut Sol,

(3) magnus rex *superiorum et inferiorum regionum;* oriundo a diis Patris-amantibus ; quem

---

2. Debueram fortasse de minoribus quibusdam a lapicida profectis variationibus mentionem fecisse. Sic in l. 8. legitur ΜΕΜΦΕΗΕΡΩΙ pro ΜΕΜΦΕΙΗΕΡΩΙ; in l. 22. pro ΧΟΡΗΓΙΑΙ habemus ΧΟΡΗΠΑΙ, in 35. ΙΞΡΩΝ pro ΙΕΡΩΝ, et in l. 30. ΤΗΙΙ pro ΤΗΙ. Quibus addenda est vox corrupta ΤΟΙΞ, quæ in l. 18. exemplaris, quod apud Ameilhonium est, legitur pro ΤΟΙΣ; non autem in illo quod incidendum curavit Soc. Antiquar. Londinensis.

Vulcanus probavit ; cui Sol dedit victoriam ; *imagine viva Jovis,* filii Solis, *Ptolemæo,*

(4) *longævo, dilecto a Phtha ;* anno nono, sacerdote Aquila, Aquilæ filio, *Alexandri, et deorum Servatorum, et deorum Fratrum, et deorum Benefactorum, et deorum Patris-Amantium, et*

(5) *dei Præsentis, munifici ;* athlophora [sacerdote] Berenices Beneficæ, Pyrrha, Philini filia; canephora [sacerdote] Arsinoes Fratris-amantis, Aria, Diogenis filia: sacerdote Arsinoes, Patris-amantis, Irene,

(6) Ptolemæi filia ; mensis Xanthici die quarto, Ægyptiorum Mechir die xviii. *decretum* Pontifices, et Prophetæ, et qui in adytum ingrediuntur ad ornandos

(7) deos, et Pterophoræ, et Scribæ, et ceteri Sacerdotes omnes, qui ex templis regionis Memphin convenerant ad regem, ad sollennia auspicandi

(8) regni, *Ptolemæi, longævi, dilecti a Phtha, dei Præsentis, munifici,* quod [regnum] accepit a patre suo, congregati in templo intra Memphin, hoc die sciverunt :

(9) Quandoquidem *rex Ptolemæus, longævus, amatus a Phtha, deus Præsens, munificus,* a rege Ptolemæo et regina Arsinoe, diis Patris-amantibus, prognatus, multis beneficiis affecit templa, et

(10) eos, qui in iis sunt, et regno suo subjectos omnes; natus deus ex deo et dea, ut Horus, Isidis et Osiridis filius, qui patrem suum Osirin ultus est; erga deorum sacra

(11) beneficam mentem habens, assignavit templis pecuniarios et annonarios reditus; et multas impensas sustinuit, ut Ægyptum ad tranquillitatem perduceret, et ut sacra constitueret,

(12) suisque facultatibus liberaliter usus est cunctis, et ex institutis in Ægypto reditibus, et tributis, alia prorsus remisit, alia levavit, ut populus, et ceteri omnes in

(13) prosperitate sint in ejus regno; quodque regia residua, quæ debebant Ægyptii, et in ceteris ejus regni terris viventes, quæ erant magno numero, populo remisit; et eos, qui in vinculis

(14) habebantur, et, qui in judicium adducti jam a multo tempore, exemit e reis; constituit

etiam reditus sacrorum, et inferendas in ea annuas pensitationes, pecu-

(15) niarias et annonarias, similiter etiam legitimas præstationes diis, ex solo vitifero, et ex paradisis, et ex aliis, quæ diis erant constituta patris tempore,

(16) manere fixas; constituit quoque de sacerdotibus, ut nihil darent in tributum amplius eo, quod erant censi usque ad primum annum patris ejus; liberavit quoque ex

(17) sacris populis [eos quibus ea imperata erat] ab annua Alexandriam navigatione; jussit quoque corrogationem ad rem navalem haud fieri; et vestium byssinarum in regiam exhibendarum

(18) in templis duas portiones remisit; et cuncta intermissa superioribus temporibus in legitimum ordinem restituit, cura habita, ut ex more constituta præstentur diis ex

(19) præscripto; pariter quoque jus suum tribuit omnibus, quemadmodum Hermes magnus et magnus [maximus]; constituit etiam, ut, qui cum e militantibus, tum ex aliis diversas

(20) partes in turbatarum rerum temporibus amplexis, erant reversi, reduces manerent in suis bonis ; providit tamen quoque ut mitterentur copiæ equestres et pedestres, et naves, ad eos, qui

(21) aggressi erant Ægyptum mari terraque, sustinens impensas pecuniarias et annonarias magnas, ut templa, et ii, qui in ea [Ægypto] sunt, omnes in tuto sint ; cumque etiam

(22) ad Lycopolin esset profectus, in Busirite [nomo] sitam, quæ erat occupata et munita ad tolerandam obsidionem apparatu copiosiore, et ceteris necessariis omnibus, quippe a multo

(23) inde tempore parata defectione a sceleratis, qui in istam urbem confluxerant, quique in templa, et Ægyptum incolentes, multa mala perpetraverant,

(24) obsidendo vallis et fossis et muris eam circumdedit haud contemnendis ; cumque Nilus ingentes auctus haberet anno octavo, et inundare

(25) soleret campestria, coercuit [eum,] in multis locis muniendo ostia amnium, expensa in id opum summa haud parva ; et, collocando equites et pedites ad custodiam

(26) eorum, et brevi tempore urbem vi expugnavit, et sceleratos in ea omnes necavit; quemadmodum Hermes et Horus, Isidis et Osiridis filius, subegerunt eos, qui in iisdem

(27) locis antea defectionem fecerant; duces eorum, qui defecerant patris tempore, et regionem prædantes, et templa [sacrilegio] violantes, Memphin profectus, ultus

(28) et patrem et suam dignitatem, omnes meritis pœnis affecit, eo tempore, quo accessit ad peragenda sollennia suscipiendi regni; remisit quoque ea, quæ

(29) in templis debebantur in fiscum usque ad octavum annum, ad annonæ et pecuniæ summam haud exiguam; pariter etiam pretia vestium byssinarum non exhibitarum in regium, et earum,

(30) quæ exhibitæ erant, expensas in probationem [faciendas] usque ad eadem tempora; liberavitque templa a constituta artaba in aruram agri sacri, et vitiferæ pariter

(31) ad amphoram in aruram; Api et Mnevi multa donavit, et reliquis sacris animantibus in

Ægypto; multo plus quam superiores reges sollicitus de iis quæ ad ea spectant;

(32) semper quoque ea, quæ ad eorum sepulturam necessaria sunt, præbendo liberaliter et magnifice, etiam sumtus in privata [sua] sacra, cum sacrificiis, et festis, et reliquis more constitutis;

(33) et res pretiosas templorum, et Ægypti, servavit integras, legibus convenienter; et Apieum operibus sumtuosis exstruxit, expensa in illud auri et argenti,

(34) et lapidum pretiosorum, copia haud exigua; et sacra, et templa, et aras, exstruxit; et ea, quæ indigebant refectione, sacra tecta præstitit, habens dei benefici in iis,

(35) quæ ad ea spectant, divinum animum; et, ex comperto, templa honore præcipuo habita reparavit in suo regno convenienter; pro quibus dederunt ei dii valetudinem, victoriam, potentiam, et alia bona omnia,

(36) regno manente ei et liberis in omne tempus: Quod bonum faustumque sit: placuit sacerdotibus templorum per regionem omnium, honores sollennes omnes jam solitos

(37) *longævo regi Ptolemæo, dilecto a Phtha, deo Præsenti, munifico,* pariter etiam honores *parentum* ejus, *deorum Patris-amantium,* et honores *avorum, deorum Benefactorum,*

(38) *deorum Fratrum, et deorum Servatorum,* augere magnifice ; et collocare *longævi regis Ptolemæi, dei Præsentis, munifici,* simulacrum in unoquoque templo, in loco maxime conspicuo ;

(39) quod appellabitur *Ptolemæi, defensoris Ægypti ;* quo loco juxta stabit præcipuum templi numen, porrigens arma ipsi victricia ; eruntque ea [omnia] instructa in modum maxime insignem ;

(40) porro [placuit,] sacerdotes colere imagines religiose ter quotidie, et apponere iis sacrum ornatum, et reliqua ex more fieri solita præstare, quemadmodum aliis diis, in sacris

(41) et sollennibus ; ponere quoque *regi Ptolemæo deo Præsenti, munifico,* ex rege Ptolemæo et regina Arsinoe, diis Patris-amantibus, signum et ædiculam * * * *

(42) et collocare in adytis una cum aliis ædiculis, et in magnis sollennibus, in quibus pompæ ædicularum fiunt, etiam *dei Præsentis, munifici,* ædiculam in pompa

(43) ducere ; ut vero insignis illa sit, imponi nunc et in posterum ædiculæ aurea insignia regis decem; quibus apponetur clipeus * * * * [in morem]

(44) clipei-formium insignium ceterarum ædicularum ; eritque in medio illud, quod appellatur insigne ψχεντ; quo circumdatus ingressus est Memphi * * * * [quando]

(45) peracta sunt sollennia suscipiendi regni ; ponere quoque supra tetragono, quod ea regia insignia includit juxta prædictum insigne regium, amuleta aurea * * * * *

(46) quod est regis, qui illustravit et superiorem et inferiorem regionem ; et quando quidem trigesimum diem [mensis] Mesore, quo die natalis regis celebratur, pariterque etiam * * * * * * diem,

(47) quo regnum accepit a patre, nomine ejus consecrarunt in templis, qui utique multorum bonorum auspicia sunt omnibus, hos dies festos * * * * * in templis

(48) Ægypti in mense ; et peragere in iis sacrificia, et libationes, et reliqua ex more sollennia, quemadmodum et in ceteris sollennibus ; solitas autem exhibitiones * * * * *

(49) [instituere cum] iis quæ præberi solent in templis; agere vero festum, et sollenne, *longævo, et dilecto a Phtha, regi Ptolemæo, deo Præsenti, munifico,* quotannis * * * * * [per omnem]

(50) regionem a Kalendis Thoyt per dies quinque; in quibus quoque coronas gestabunt, peragentes sacrificia, et reliqua, quæ curari fas est; recitare autem * * * * * * [nomen Ptolemæi]

(51) et *dei Præsentis, munifici,* sacerdotes, præter cetera nomina deorum, quorum sacerdotium obeunt, et inserere in omnes formulas, et in * * * * * *

(52) sacerdotium ejus; licere vero etiam aliis privatis agere festum, et prædictam ædiculam exponi, et habere apud se * * * * *

(53) * * * * quotannis; ut manifestum fiat, quod Ægyptii amplificant et honorant *deum Præsentem, munificum, regem,* ut lege constitutum est, * * * * * * [et incidere hæc]

(54) in duro lapide, Sacris, et Patriis, et Græcis litteris; et statuere in unoquoque et prioris et secundi ordinis [templo].

FINIS.


LIBRARY OF CONGRESS
0 027 250 797 1
